4001

NAZIONALE
VITT. EMANUELE
8 M
37 H
13
ROMA

Digitized by Google

C. 62. e.

Digitized by Google

Digitized by Google

STATVS CONTROVERSIÆ

PRÆDEFINITIONVM, ET PRÆDETERMINATIONVM CVM LIBERO ARBITRIO.

AVCTORE

F. I. M. DE RISPOLIS

Ordinis Prædicatorum.



PARISIIS,

Apud REGINALDVM CHAVDIERE, via Iacobæa, ſub ſigno Scuti Florentij.

M. D. CIX.

Cum Priuilegio Regis.

S. Maria in Scala
Cornelio Francescucci
BIBLIOTECA NAZ. ROMA V. EMANUELE
8.13.4.13
Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRI ADMODVM ET REVERENDISſimo D. D. Sebaſtiano Zameto, Abbati Iuliacenſi, &c.

F. IOANNES MATTHÆVS de *Riſpolis*, *S. P. D.*

NVLLA res me deterrere potuit (Abbas digniſsime) quo minus libellum hunc, difficillimas quæſtiones de præfinitionibus ac prædeterminationibus continentem, in lucem ederem, idque ſub tui nominis auſpiciis: audentiam dedit tua illa, ex nobiliſsimi Patris tui ſemine (cuius fauoris aura ſuauiter in omnes,

Digitized by Google

præſertim litterarum amatores ſpirat) innata benignitas : idem effecit tuus litterarum diuinarum ſingularis amor, & maximè deſiderium quo te teneri non dubito, cognoſcendi ſtatum noſtræ opinionis, quem tibi candidè, & ſine fuco hic monſtrabit libellus : tu qui beneuolus, qui candidus, qui veritatis amans, cauſam apud te iudicabis, & animum hunc noſtrum & cum eo religionem Dominicanam amabis. opellam hanc noſtram pro Diui Thomæ Diuinæ voluntatis Interpretis, honore, ſuſceptam, probabis, & interim bene valebis, quod tibi in longum precor & voueo.

Digitized by Google

Admonitio ad lectorem ex Doctiſsimo Medina ſuper tertiam partem D. Thomæ. Vbi ſic loquitur.

IN his noſtris commẽtariis, (Chriſtiane Lector,) nõulla ſunt, quorum admonitione aduerſus varias calumnias præmunitum te eſſe volui. Primum quod ad ſtylum attinet, ſi ſimplicior, & impolitior tibi videatur, ſanctos Patres certè, & Doctores Scholaſticos, qui veritatem rerum, non verborum ornatum magnopere curant, ſecuti ſumus. Sanè, vt mulieres ob hoc ipſum beneolent, quia nihil olent, & in quibuſdam cultus neglectus delectat, ita Theologica oratio hoc ipſo videtur ornatior, quia ornementa negligit. Hæc ille.

Ad eundem ex ſapientiſsimo Bannes ſuper primam partem Vbi ſic loquitur.

NEc certè valde ſolicitus ero grammaticorum auribus deſeruire, dummodo veritas diſtinctius intelligatur. Semper enim memor ſum eius,

quod Auguſtinus 4. de doct. Chriſt. cap. 11. Eccleſiaſticum Doctorem docens, inquit; Quid prodeſt clauis aurea, ſi non aperit? aut quid obeſt lignea, ſi aperit? Hæc ille. Vale.

Digitized by Google

EGo Frater Ioannes Iourné ordinis Fratrum Prædicatorum, in Vniuerſitate Pariſienſi Doctor Theologus: hanc eximiam controuerſiam de auxiliis per legi, illamque quæ typis mandaretur dignam exiſtimaui. Dat. Pariſiis Die 23. Aprilis 1609.

F. IOVRNE.

Nunc Prouinciæ Toloſanæ Prior Prouincialis electus.

EGo Fr. Arnaldus Iourdanus de Cyuaud Doctor Theologus Pariſienſis, Ordinis Fratrum Prædicatorum, necnõ Regis Chriſtianiſſimi Prædicator, ac prioratus ſancti Thomæ de Valeriano Prior, vidi ac hunc controuerſiæ ſtatum perlegi, nihilque quod ſcripturæ vel Conciliis, vel Patribus repugnet, comperi, ideoque Dignum vt typis mandetur iudicaui. Dat. Pariſiis Die 12. Iunij 1609.

Fr. Ar. de Cyuaud. qui ſupra.

Digitized by Google

Digitized by Google

LIBER PRIMVS

QVÆSTIO PRIMA.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Num dentur prædeterminationes & prædeffinitiones æternæ.

SEMPER difficile fuit nouitiis Theologis, intelligere modũ quo ſancti Patres liberum arbitrium cum diuinis, prædeſtinatione & gratię efficacitatibus cõcordarint, cui⁹ perdifficilis controuerſiæ ſubtiliſſimus Caietani intellectus fatetur ſe neſcire miſterium, non potens penetrare quomodo actiones, quæ à libero emanant arbitrio contingentes reſpectu hominis ſint ex vno capite, & neceſſariæ ſeu infallibiles ex parte Dei; & loquor de prdeffinitione tum æterna tum etiam temporali. Æternam prædeffinitio-

Digitized by Google

nem appello illud Dei abſolutum decretum, quo determinatè vult aliquam rem fieri à tali vel tali cauſa, in aliqua differentia temporis antequam præſciat eam eſſe futuram. Temporalem vero præmotionem illam, qua Deus Phyſicè prius prioritate naturæ liberum arbitrium mouet, ipſumque determinat ad agendum quæ propriè dicitur prædeterminatio, prior eſt æterna, & immanens per modum efficacis intentionis, poſterior vero tranſiens, & per modum efficacis executionis.

Prædeterminationes phyſicas moderni appellãt errorem in fide.

Moderni autem inperſcrutabilia Dei iudicia comprehendere volentes, ab hac tam ardua facillimo ſe expediunt negotio quæſtione, negantes omnem prædeterminationem & prædeffinitionem, immo iſtas prædeterminationes non dubitant errorem in fide appellare. Vt autem clarè & diſtinctè procedamus; agemus primo de prædefinitione, æterna deinde de temporali. Aduerte igitur primò quod aduerſarij credentes actiones liberas noſtræ voluntatis non poſſe aliquo modo concordari cum prædefinitione & prædeterminatione

diuinis adinuenerunt neſcio quã ſcientiam, quam mediam ſeu conditionatam appellant, cuius inuentor primus fuit Fonſeca vt ipſemet fatetur 6. metaph. q. 6. ſect. 8. quam poſtea Suares & Molina quibus hæc noua ſententia verbo tenus fuit ab ipſo communicata, amplexati ſunt, voluntque præter ſcientiam naturalem, quæ dicitur ſimplicis intelligentiæ antecedentem omnem voluntatis actum, & eam quæ ipſum conſequitur quæ libera & viſionis merito ſolet appellari, aliam admittere, qua Deus cognoſcit aliqua futura non ſimpliciter; ſed ſi in tali vel tali ordine rerum collocarentur, quam dicunt non eſſe ſimplicis intelligentiæ cum non ſit ſimpliciter neceſſaria, ſed ſolum ex conditione, neque mere liberam cum ſecundum ſe non terminetur ad aliquam exiſtentiam futuram ſimpliciter. Et ideo ipſam vocant mediam ſciẽtiam cum non ſit pure libera neque purè neceſſaria. Ideo Suarez in Opuſc. num. 474. ait. ſupererat nonnihil dicendum de ſcientia illa quam conditionatam appellant, quæ vt neceſſariũ fundamentũ nobis ſupponitur ad declarã-

dum efficacem motionem. & totum diuinæ prædeſtinationis myſterium cum tamen non omnes catholici illam ſciẽtiam admittant. & lib2. cap. 3. non audet hanc ſcientiam appellare mediam, faterturque hoc nomen nouum eſſe, neque in theologia admittendum, ſed vult iſtam ſcientiam ex ſuppoſitione, reduci ad ſcientiam viſionis, quia (ait) ad hanc ſcientiam non ſolum pertinet cognoſcere id quod voluntas vult, vt in re poſita; ſed etiam quatenus futura eſt, ad hanc enim pertinet cognoſcere quid voluntas vult, & quid volitura ſit ſub conditione.

Suarez nõ audet ſcientiam conditionatam appellare mediam.

Molina autem ſequens Fonſecam 1. p. q. 13. art. 13. diſp. 17. vult hanc ſcientiã nullo modo appellandam eſſe liberam: tum quia antecedit omnem actum voluntatis: tum etiam quia non fuit in poteſtate Dei ſcire aliud quam re ipſa ſciuit. neque etiam naturalis, quia Deus poterat cognoſcere contrarium, ſi namque liberum arbitrium creatum acturum eſſet oppoſitum vt reuera poteſt, id ipſum ſciuiſſet per eandem ſcientiam, & non quod re ipſa ſciuit; quia nõ eſt magis innatum Deo ſcire per eam

Molina & Fonſeca nolunt vt hæc ſcientia dicatur libera, & viſionis.

ſcientiam hanc partem contradictionis ab arbitrio creato pendentem quam oppoſitum.

Hac ſcientia poſita concordant liberum arbitrium cum diuina præſcientia ſic. cum res quæ ab arbitrio noſtro emanant,aut dependent, non ideo ſint futuræ quia à Deo præcognoſcuntur futuræ,ſed è contrario;ideo præcognoſcuntur futuræ hoc aut illo modo, quia ita pro libertate arbitrij ſunt futuræ,quod ſi contrario modo, vt poſſunt, eſſent futuræ, contrario etiam modo, & non eo quo re ipſa ſciuntur, præcognoſcerentur ex æternitate futuræ : fit planè vt præſcientia Dei per quam omni ex parte illimitatam certo penetrat quid cauſæ liberæ poſitæ in quocunque ordine rerum ſint facturæ, cum re ipſa ſi velint poſſint facere contrarium: nullo omnino præiudicium libertati arbitrij & contingentiæ rerum afferat, ſed omnino ſalua manet ac ſi talis præſcientia non eſſet. hæc Molina. Ita quod ex parte prædeſtinationis, ſeu prouidentiæ & præſcientiæ infallibilis ponatur conditio, ex parte autem voluntatis ex ſeipſa ſui ipſius in bonum

Digitized by Google

determinationem & ita loqui oportet niſi errare velimus. hæc Fonſeca.

Reiecta igitur prædeffinitione æterna & conciliata noſtra libertate mediante illa ſcientia media inferunt duo correlaria.

Primum corelarium.

Prædeſtinatio non eſt abſque præuiſione qualitatis vſus liberi arbitrij.

PRædeſtinatio non eſt ſine præſcientia qualitatis vſus liberi arbitrij ex hypoteſi futuri, habitáque conſideratione illius: quamuis enim Deus alligatus non fuerit vſui liberi arbitrij præuiſo, aliiſque circunſtantiis ex parte adulti prædeſtinandi: potuiſſe nihilominus ad circunſtantias & ad vſum reſpicere, decenſque ac valde conſentaneum fuiſſe vt ita faceret. vnde addit Suares illam ſcientiam præuiam ad prędeſtinationem non eſſe tanquam conditionem neceſſariam ex parte hominis, ſed ex parte Dei. i.non eſſe neceſſariam quia applicet aut proponat diuinæ voluntati rationem aliquam ex parte hominis, quæ mouet illum ad modum meriti hominis ad prædeſtinan-

Digitized by Google

dum illum; quia in re, quę neque eſt, neque cognoſcitur vt futura, non poteſt talis ratio motiua fundari. ſolum eſſe ergo neceſſariam vt obiectum illud præponatur Deo tanquam futurum infalibiliter vt habeat rationem medij efficacis ex parte Dei, vt ſub illa ratione eligatur etiam vt finis proximus intendatur. & paulo inferius ait. iſta ſcientia conditionata præſuppoſita nō ſufficit vt illa cooperatio ſit ratio meritoria vel diſpoſitiua; ſed ſolum vt ſit intenta per modum finis proximi reſpectu aliorum mediorum, quæ ante illam præcedere debent in executione, id eſt reſpectu ipſius vocationis & excitationis; ita quod illa cooperatio præuiſa non poteſt inducere meritum, ſed ſolum eſt conditio neceſſaria vt tale medium conſtituatur in ratione medij infalibilis & conſequenter per prædeſtinationem eligibilis, quamuis electio ſemper maneat in ſola liberalitate Dei.

Rationem huius aſſignant aduerſarij: quia ſcilicet per hanc ſcientiam non præuidetur homo vt iam operans in ſe, nec vt iam habens omnia principia & dona neceſſaria ad merendum; ſed ſo-

lum præcognoſcitur ille effectus vt futurus ex efficacia diuinæ voluntatis, à cuius liberalitate adhuc expectantur dona illa, quę ſunt futura principia talis meriti vel diſpoſitionis: & ideo decretum quo decreuit Deus in poſteriori ſigno rationis de danda homini tali vocatione, nullo modo naſcitur ex merito ipſius hominis (quãuis Deus iã præſciat ex ſuo decreto hominem habiturũ talia merita) quia nondum videt talia merita vt facta, & exhibita ab ipſo homine in præſentia æternitatis, immo nec iam videt hominem vt gratioſum, vel vt eleuatum ad ſupernaturaliter operandum. ſolum ergo decretum illud & præſcientia illa mouet vt intentio finis ad danda media præſtituto fini.

Secundum corelarium.

Certitudo prædeſtinationis oritur ex hac ſciẽtia media.

CErtitudo qua adultus prædeſtinatus in vitam æternam perueniet, eſt quidem in ſcientia illa media, quæ antecedit liberum actum diuinæ voluntatis, ſed tanquam in radice, & ſo-

lum ex hypotheſi, ſi Deus ea media velit concedere, eoque modo velit prouidere. Nam Molina 1. parte q. 23. art. 5. memb. 11. ait quod ratio ordinis ac mediorum quibus Deus per ſcientiam naturalem, & mediam inter liberam, & merè naturalèm præuidit creaturam aliquam mente præditam peruenturam in vitam æternam cum propoſito, & determinatione diuinæ voluntatis ex parte ſua id executioni mandandi; eſt prædeſtinatio talis creaturæ, & licet adultus ita prædeſtinatus certo id eſt abſque aliqua Dei deceptione vitam æternam conſequetur, certitudo tamen non eſt ex parte mediorum, effectuſque prædeſtinationis; ſed ex parte diuinæ præſcientiæ, qua Deus altitudine illuminataque perfectione ſui intellectus ſupra id quod natura rei habet, certo cognoſcit prædeſtinatum taliter pro ſua libertate operaturum per ſuum arbitrium, cum tamen ſi velit poſſit re ipſa ita operari, vt neque ea media effectuſque prædeſtinationis in rerum natura exiſtant.

Suares etiam in opuſc. lib. 1. cap. 4. ait quod prædeſtinatio ſeu prouidentia

non poteſt perfectè intelligi niſi ſupponatur hæc ſcientia media , quia nullus poteſt ſtatuere prudenter de fine niſi habeat præcognita media ſibi poſſibilia ad conſequendum finem, quem intendit & modo quo intendit, ergo. niſi Deus præcognoſcat quibus mediis aut quibus conditionibus poſitis humanum arbitriũ hoc, aut illud operabitur, non poteſt ſecum ſtatuere de tali hominis operatione aut de fine per illam conſequendo; quia alias oporteret aut Deum neceſſitatem inferre voluntati vt omnino faceret quod ipſe decreuit, aut ſe periculo exponere vt non fiat quod ipſe efficaciter intendit; quia relinquit voluntatem in libertate ſua, nódum ſciens quid ſit operatura talibus poſitis conditionibus. hoc idem docet Fonſeca in 6. cap. 2. ſect. 8.

Suares credit prædeſtinationem non incipere ab illa ſcientia media contra Molinam.

Sed fateor Suares non conuenire cum Molina nam Suares 1. parte lib. 1. de eſſentia prædeſtinationis cap. 7. ait quod in iſta ſcientia conditionata non ſolum non intelligitur perfici, ſed nec etiam inchoari, quia Deus non intelligitur inchoare prædeſtinationem, donec intelligatur aliquod decretum eli-

cere, ſic enim ait. vnde etiam clarum eſt ſcientiam illam non pertinere vllo modo ad prædeſtinationis effectus, ſed vt ſit aliquo modo ratio, vel conditio præuia ad prædeſtinationem.

Molina autem vbi ſupra concluſione 7. ait in iſta ſcientia conditionata incipere prædeſtinationem, & compleri per actum voluntatis diuinæ, nempe quo ad propoſitum conferendi illi ea media, quibus Deus altitudine ſui intellectus præuidit illum pro ſua libertate peruenturum in vitam æternam ſi in tali vel tali ſtatu poneretur. Quænam ex iſtis probabilior ſit, non curo; ſed pro modo neutram rationabilem exiſtimo, vt inferius dicetur.

Conuenimus igitur cum aduerſariis in hoc ſcilicet quod ſcientia Dei eſt certa, & infallibilis tum neceſſariorum, tum liberorum, tum eorum quæ aliquando erunt, tum eorum quæ nunquam habebunt eſſe. nullamque rebus ſcientiam Dei imponere neceſſitatem. ſed controuertitur vt dubium ex quonam capite certitudo iſtorum effectuum oriatur; nam Thomiſtæ aſſignant ipſam Dei voluntatem, & ipſum

Aduerſariũ volunt Deũ cognoſcere effectus liberos in actu voluntatis approbatiuo ſeu permiſſiuo, non autem determinatio.

Dei æternum decretum, (non curando pro modo de illa præſentialitate in æternitate & in idæis diuinis) Deus enim ex ſumma efficacia facit vt ſint entia contingentia, & dedit modum quo fiant hic & nunc contingenter, idcirco in huiuſmodi prædeffinitione & præordinatione efficaci, Deus cognouit quæcunque in tempore facta, & futura ſunt. Aduerſarij autem fatentur Deum præſcire futura libera in actu ſuæ voluntatis, ſed diſcordant à nobis in duobus. Primò quia iſtum actum in quo Deus cognoſcit futura libera eſſe tantum approbatiuum volũt, ſi futura bona ſint, permiſſiuum ſi mala, non autem determinatiuum, quia hoc continet errorem in fide (ait Molina.) Secundò quia docent eſſe aliam ante hanc cognitionem, nos autem nullam aliam priorem damus.

Fonſeca namque in 6. q. 4. ſect. 16. ſic loquitur. ita patet actus diuinæ voluntatis, in quibus futura contingentia certo & infallibiliter præcognoſcuntur, non eſſe determinatiuos creatarum voluntatum ad actus liberos; ſed eſſe tantum approbatiuos: quia determina-

Digitized by Google

tio eſt propria ipſius voluntatis. Si ab ipſo quęres, ante hunc actum approbatiuum cognoſcebat ne Deus illa eſſe futura? Ad hoc reſpondet Suares in opuſ. lib. 2. cap. 6. vbi ſic ait, Actus liberi boni prædiffiniti à Deo ſuppoſita tali prædeffinitione euidenter cognoſcuntur futuri in illa ex vi illius; illa tamen prædeffinitio non poteſt eſſe prima ratio cognoſcendi futura libera, ſed neceſſario aliam ſupponit, ſeu includit; ſcilicet illam conditionalem, ſi hoc vel illud facio circa hunc hominem, hoc volet, vel è conuerſo: ſi hic homo in tali oportunitate excitetur vel moueatur, hoc operabitur, immo Fonſeca q. 4. sect. 9. ait omnes Theologos id concedere; immo & magnam eorum partem exiſtimare prius non ſolum conſideratione noſtra, ſed etiam tempore id ſciuiſſe.

Et probant hoc tali ratione, hæc prædeffinitio diuina vt terminata ad actum liberum creaturę neceſſario ſupponit in Deo ſcientiā, qua nouit quid neceſſe ſit ipſum Deum facere circa voluntatem creatam, vt illa infallibiliter faciat talem effectum; alioquin imprudentiſſima eſſet, & temeraria Dei vo-

Temeraria eſſet Dei voluntas ſi in eo non poneremus hanc ſcientiam mediam.

bitudinem, & conformitatem ad illam ſub exiſtentia apprehenſam, cum prædicta conditione, & diuinus intuitus ratione ſuæ infinitatis extendi poterit ad videndum, quid tali rei coniungeretur, aut quid ab illa prodiret ſi tali modo conſtitueretur. Fonſeca etiam vbi ſupra ſic loquitur. quo loco aduerte omnem cognitionem diuinam eſſe certam & euidentem; vnde cum dicimus in cauſa libera ſecundum ſe ſumpta & nondum determinata nec à Deo poſſe quidē cognoſci effectum; verum id quidem eſt, neque enim in ea ſic accepta effectus cognoſcitur niſi vt poſſibilis; ſed tamen certo, & euidenter poſſibilis. *Idem docet Fonſeca.*

Volunt itaque aduerſarij Deum pręfinire media & principia actuum, quibus liberum arbitrium poſſit peruenire ad finem, ipſum autem finem nullomodo; ſed tantum approbare ſi bonus futurus eſt, Thomiſtæ autem tenent Deum prædefinire nedum principia & media actuum, ſed etiam ipſos actus, & ipſos fines, quos ſcientia viſionis cognouit eſſe futuros. *Explicatur mens aduerſariorū.*

Conuenimus etiam cum aduerſa-

riis, cum quibus diſputamus contra Hēricum & alios, prædeſtinationē nullomodo eſſe ex præuiſis operibus; nam Henricus credit bonum vſum liberi arbitrij præuiſum eſſe cauſam, ſeu potius conditionem, ex parte adultorum prædeſtinatorum, quare potius ipſi, quàm alij ſint prædeſtinati. de qua ſententia Molina 1. parte, q. 23. art. 5. diſ. 1. membro 4. ſic loquitur. licet ſententia horum doctorum primo conſpectu probabilis videatur; ſi tamen ita eam accipi volunt, quaſi Deus bonum vſum liberi arbitrij præuiſum, tanquam menſuram, & veluti regulam elegerit vt pro ratione illius, auxilia & media ad ſalutem conferre ex æternitate conſtituerit, ità ſcilicet vt ex parte Dei fuerit æqualitas in auxiliis & mediis ad ſalutem cuicunque homini exoptandis, inæqualitas vero tota ortum habuerit ex inæqualitate ſeu diuerſitate vſus liberi arbitrij prȩuiſi, ob id tanquam ratio, radix & origo, quare hi, & non illi fuerint prædeſtinati, reddi poſſit vſus liberi arbitrij præuiſus; non dubito eam ſententiam non ſolum eſſe falſam, ſed ſanctis ſcripturis repugnantem.

Opinio Henrici reiicitur ab aduerſariis.

Suares

Suares etiam 1. parte lib. 1. cap. 2. de cauſa prædeſtinationis aſſertione 1. ait Gratiæ auxilium ſeu vocationem ſupernaturalem , etiam congruam , ſeu qualiſcunque illa ſit, non dari homini ex tempore ex meritis præuiſis, etiam ſi ſupernaturalia præuiſa ſint. Hæc aſſertio (inquit) licet non videatur tam certa , ſicut eſt certa alia ſimilis contra ſemipelagianos , qui tenebant quod ex præuiſis operibus quæ ex naturalibus arbitrij procedunt eſſe prædeſtinationem : nihilominus eſt ſatis certa ex conciliorum ſanctorum diffinitionibus & præcipuè Aurocicani cap. 22. & Trid. ſect. 6. cap. 5. & huius ipſe aſſignat rationes, quas quia pro nobis militant miſſas facio, & paulo poſt deciſione vltima (ait) ex dictis concluditur generalis reſponſio ad quæſtionem præpoſitam nimirum ex parte boni vſus gratiæ ſeu cooperationis liberi arbitrij cum diuina gratia non poſſe dari cauſam vel rationem motiuam totius prædeſtinationis quo ad effectus eius : & hæc eſt clara mens diui Thomæ & Auguſtini.

Opinio ſemipelagianorum circa prædeſtinationẽ.

Ex noſtris etiam pater Aquarius in

natam. Nam Suares 1. parte lib. 1. de eſſentia prædeſ. cap. 10. ait. Opinio illorum, qui dicunt, quod quamuis Deus ſua antecedenti voluntate, qua ex ſe voluit homines, & Angelos ſaluare, abſolutè deffinierit, vt aliqui infalibiliter ſaluarentur, & certum ac diffinitum numerum ſaluandorum præſcripſerit, ita vt minor eſſe non poſſet: non tamen in eo ſigno perſonas in particulari deſignaſſe, ac proinde voluntatem illam ex vi ſua non fuiſſe determinatam ad has perſonas, donec per ſcientiam præuiſa eſt earum libera cooperatio; probari nullomodo poteſt: eoque merito eſt antiquata, & ab omnibus reiecta.

Nam Deus in ſua prouidentia, & præſertim in primariis effectibus eius, non præfinit confuſè, & generatim, quod faciendum eſt; ſed omnino perfectè, & diſtinctè. Item vel Deus determinat phyſicè voluntatem ſalua libertate, & ſic per illud medium poterit illam definitam intentionem exſequi, ſalua etiam libertate. vel mouet efficaciter per gratiam congruam ſuppoſita conditionata præſcientia, & ſic

Digitized by Google

etiam per eandem congruam vocationem infalibiliter conſequetur eundem gradum gloriæ, quamtumuis in particulari diffinitum. vel ſi nec phyſica prædeterminatio, nec ſcientia conditionata placet; neganda erit præ electio ad gloriam. Hanc etiam opinionem paſſim docet Diuus Thomas, & cum illo omnes Thomiſtæ.

Thomiſtæ vel non agnoſcere vel nolunt credere huic ſcientiæ mediæ.

Suares nihilominus in Opuſc. lib. 3. cap. 17. ait, Thomiſtas ad euitandum hunc errorem introduxiſſe Phyſicas prædeterminationes: nam cum ipſi (ait) vel non cognoſcant, vel non credant ſcientiam conditionatam futurorum, ne cogerentur illum modum prouidentiæ Deo tribuere introduxerunt efficaciam gratiæ, & præmotionis diuinæ per Phyſicam prædeterminationem, vt per eam poſſet Deus ea omnia, quæ de hominum ſalute perfectiſſimè decreuit, & ſtatuit, infalibiliter ad exitum perducere. Ego vero (ſequitur) quamuis neutram ex his extremè oppoſitis ſententiis veram eſſe ſentiam; ita tamen de illis ſentio, vt ſi in alteram earum inclinandum eſſet, potius prædeffinitio omnis actus ſupernaturalis

in particulari neganda eſſet, quam Phyſica prædeterminatio admittenda: quia teſtimonia ſcripturæ, & conciliorum & patrum, ac rationes ſumptæ ex principiis fidei, non ita efficaciter oſtẽdunt actus aliquos in particulari præfiniri, ſicut probant non eſſe ex determinatione extrinſeca. Et in hoc conſiſtit tota noſtra controuerſia in hac 1. quæſtione, in qua quatuor videnda ſunt.

Primum, Num prædeffinitiones ſint poſſibiles ſalua liberi arbitrij libertate. *Quatuor videnda ſunt in hac quæſtione.*

Secundum, Num ſit neceſſaria ſcientia media.

Tertium, Num prædeſtinatio ſit ex bono vſu præuiſo ſub conditione.

Quartum, Num certitudo prædeſtinationis oriatur à ſcientia media.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

Digitized by Google

CONCLVSIO PRIMA.

Prædefinitiones æternæ etiam in particulari nullomodo derogant libertati noſtri arbitrij.

Præfinitiones non repugnant libertati.

DIco prædefinitiones, & non præſcientias, quia aduerſarij non negant Deum præſcire omnem actum liberum voluntatis noſtræ futurum in aliqua temporis exiſtentia, etiam in particulari: negant tamen præfinitiones. Dico præterea in particulari: quoniam ſi ſit ſermo de præfinitionibus in communi non eſt ſatis difficile concordare præfinitiones cum libertate arbitrij; nam licet voluntas libera ſit, tamen ſi habeat plures occaſiones, & motiua operandi tali, vel tali modo, & illæ ſæpè occurrant, & auferantur impedimenta. infalibile eſt, quod voluntas aliquando conſentiat;

Digitized by Google

licet non ſit infalibile quod voluntas aliquando conſentiet in hoc vel illo actu determinatè. Dico vltimo libertatem arbitrij quia contingentia optimè poteſt prædefiniri ſalua eius libertate,& contingentia; nam Deus poteſt ſtatuere talem effectum contingentem fieri, nam poſſet ſtatuere cauſam impedibilem à qua fieret, & aliunde ordinare alias cauſas vt de facto hic & nunc illam cauſam non impedirent, & ita effectus infalibiliter, & contingenter eueniret. Sed quæſtio eſt de libertate cuius indifferentia, & indeterminatio pendet à cauſa proxima, & volumus quod etiam iſti libertati nullum afferant præiudicium prædefinitiones, & prædeterminationes etiã in particulari.

Deus eſt cauſa non ſolum quo ad ſubſtantiam, ſed etiam quoadmodum actus.

Fateor quidem hæc duo primò aſpectu videri inter ſeſe repugnantia; reuera tamen res non ita ſe habent, quin potius maximè cohærent, cum voluntas Dei ſit cauſa vniuerſaliſſima, & conſequenter eſt cauſa actus, nedũm quo ad ſubſtantiã ipſius, ſed etiam quo ad modum eius. Etenim cum voluntas prout libera, ſit ſubdita & ſubordinata diuinæ voluntati pro vt libera eſt, non eſt diffi-

Digitized by Google

cile intelligere quomodo Deus actus eius præfinierit,& quod ipſa liberè illos proſequatur. Profectò ſi noſtra voluntas in quantum libera non dependeret ab illa æterna libertate, ſequeretur plane actus liberos noſtræ voluntatis non eſſe Deo ſubiectos, contra illud Prouerb. 21. cor regis in manu Domini, quocunque voluerit vertet illud. vbi ſpiritus ſanctus nō loquebatur de verſione cordis, quæ fit cū omnimoda neceſſitate & violētia; ſed de verſione ſuaui, quæ fit ſeruata natura libera cordis.

Volūtas ita à Deo determinatur vt etiam ipſa ſeipſam determinet.

Determinat igitur volūtas ſeipſam, vt ſaluetur eius libertas; ſed neceſſariū eſt, vt hæc ſua determinatio dependeat à Deo vt ſaluetur ordo cauſæ ſecundæ ad cauſam primā vt inferius lib. 2. dicetur.

Huic diſcurſui conatur facere ſatis Suares in Opuſc. cap. 17. lib. 2. concedendo Deum abſoluto, & efficaci propoſito decernere vt aliquis actus in particulari, & cum talibus circunſtātiis fiat in tēpore à voluntate humana, prius ratione quàm præſciat talem actū eſſe abſolutè futurū; ſed non antequā cognoſcat eum ex hypoteſi eſſe futurum: quia hoc repugnaret libertati, & hoc modo

Digitized by Google

ſoluit omnes auctoritates ſanctorum, & conciliorum dicentium Deum cognoſcere aliquem effectum futurum quia per ſuam voluntatem decreuit illud fieri. (Num vero hæc cognitio hypotetica ſit admittenda inferiùs videbitur.

Adhuc probatur ſic. Præciſa, & circunſcripta præ definitione, æterna, & præmotione temporali, voluntas creata ſecundum aduerſarios reducit ſeipſam ad ſtatum neceſſitatis, id eſt ad neceſſitatem ſuppoſitionis, & ad infalibilitatem ad quam ſe non poſſet reducere, niſi eſſet libera, & indifferens, ergo hæc neceſſitas fundatur in libertate; quia neceſſitas infalibilitatis non repugnat voluntati, ſed perficit & nullomodo officit, cum in libertate fundetur.

Hic incipit ruere illud argumentum aduerſariorum in quo aiebant: Si Deus præfiniuit actus liberos, ſi ita ipſos decreuit fieri vt infalibiliter eueniant, ſi nullomodo poſſunt non euenire, quomodo libere euenient? quomodo libera manebit voluntas in ſuis operationibus? Iam patet ex his hæc omnia nullum afferre præiudicium libertati im-

Digitized by Google

mo ipſam perficere vt adhuc clarius oſtendetur.

Eſt maxima Dei Perſectio habere voluntatem ſemper ad vnum determinata.

Confirmatur, Ex ſumma perfectione libertatis Dei accidit, quod eius voluntas ſit ſemper determinata, quia ſi eſſet indeterminata ſecundum ſe eſſet in potentia: ſed quis dicet voluntatem diuinam propterea non eſſe liberam? ergo, determinatio fundatur in ipſa libertate; immo & Chriſtus Dominus viator exiſtens ſecundum naturam humanam, neceſſario neceſſitate ſuppoſitionis omnia præcepta patris ſui obſeruabat, & tamen liberè, alioquin non meruiſſet: atque etiam voluntas eius propter coniunctionem ad verbum, nec in ſenſu compoſito, nec in ſenſu diuiſo poterat flecti ad malum. idem dicendum eſt de beata virgine, & alijs in gratia confirmatis.

Ita reſpondet Molina p.p pit diſpute: ad ſecundum Argumentum Cumel.

Si quis autem dicat præciſa præfinitione Dei & determinatione æterna, illam neceſſitatem ſuppoſitionis non repugnare libertati, & fundari in libertate quia homo ſe ipſum reduxit ad talem neceſſitatem, ex principio intrinſeco, verum ille neceſſitatis ſtatus ad quem reducitur à Deo, videtur non eſſe con-

cors libertati, nam violentia diſtinguitur à libero, ex eo enim aliquis patitur violentiam quod ab alio impellitur, Liberum autem eſt quod ſui cauſa eſt.

Et hoc ex diuo Thoma 1. 2. q. 1. art. 1. in corp. vbi diſtinguit actiones hominis in actiones Humanas, & actiones hominis. Actiones hominis ſunt eæ, in quibus conuenit cum animalibus, humanæ ſunt quibus homo ſeipſo mouet ſe in finem; quia cognoſcit finem, & media ad finem, & rationem ordinis, mediorum in finem: & ideò hæ actiones dicuntur liberæ, brutorum autem non, quia non mouent ſe, ſed ab alio mouentur, & diriguntur, ergo ſi voluntas determinatur ex efficacia illius æternæ præfinitionis, & non ex ſeipſa, videtur ipſam non eſſe liberam.

Quid intereſt inter actiones hominis & actiones humanas.

Reſpondetur, quod moueri à principio extrinſeco contingit dupliciter, vno modo à principio extrinſeco, quod ſit eiuſdẽ ordinis cui nullomodo ſubordinetur, & à quo nullomodo dependet in operãdo; & ſic moueri eſt violenter agi. Alio modo à principio extrinſeco, à quo depẽdet in ſua operatione nõ ſolũ quã-

tum ad ſubſtantiam actus, ſed etiam quantum ad modum eius; Et ſic mouere non ſolum non corrumpit libertatem, ſed conſeruat, & perficit.

Dices quomodo eſt poſſibile, quod actiones voluntatis liberæ, ſint determinatæ à Deo, & præfinitæ; & quod voluntas remaneat verè indifferens ad eliciendas libere has actiones iam præfinitas, & determinatas; Profecto nulla remanebit indifferentia, & per conſequens nulla in voluntate libertas. Reſpondetur quod indifferentiam, ſiue indeterminationem eſſe de ratione libertatis, contingit dupliciter: Primo antequam voluntas producat actum ſuum, & hoc modo eſt de ratione libertatis, Secundo quod ſit etiam indifferens in productione actus, & ſic non eſt de ratione libertatis indifferentia, ſed ſolum liber egreſſus ipſius actus à voluntate; vnde dum voluntas agit eſt adhuc libera in ſenſu compoſito, non libertate indifferentiæ, quæ conuenit voluntati ante determinationem eius; ſed libertate, quæ dicit liberum egreſſum actionis. Volo dicere quod etiam poſita prædeterminatione, humana voluntas manet

Digitized by Google

libera non libertate indifferentiæ, ſed libertate actus quia eſt talis naturæ vt determinatio primæ cauſæ non tollat, quin libere ex ſequatur ſuum effectum.

Reſpondetur ſecundo, Indifferentiã ipſius potentiæ eſſe duplicem, vnam ex parte potentiæ, ſcilicet quando potentia nondum eſt adepta ſuam perfectionem, Et hæc indifferentia non eſt de ratione libertatis vt ſic, alioquin conueniret diuinæ libertati, quod falſum eſt, cum hoc inuoluat imperfectionem, & potentialitatem. Aliam reſpectu eius ad quod dicitur, id eſt, ex parte obiecti, & hæc libertas conuenit voluntati diuinæ: quia licet ea ſecundum ſe, & ex parte ſui, non ſit indifferens eſt tamen indifferens reſpectu volitorum à ſe ſecundario, quia non habet neceſſariam habitudinem ad ipſa volita, & hæc indifferentia reperitur in voluntate humana, etiam poſita illa prædeterminatione æterna, quia noſtra voluntas ſecundum noſtram conſiderationem non habet neceſſariam connexionem potius cum hoc actu, quam cum alio.

Quæ nam potentia eſt de ratione voluntatis & quæ nam non.

Hoc idem aduerſarij fatentur; nam

Fonſeca lib. 6. cap. 2. q. 5. ſect. 12. ſic ait. Quamquam igitur in Chriſti Domini voluntate reſpectu præceptorum, non fuit omnis omnino libertas, quæ in noſtra eſt, quia non fuit libertas ad malum inobedientiæ; tamen fuit omnis perfectio libertatis ad bonum in obediendo. Nam & in diuina voluntate non eſt libertas ad bonum, & ad malum, ſed ad bonum tantum, tametſi hæc libertas eſt in diuina voluntate per eſſentiam, in Chriſti autem Domini humana voluntate, per participationem diuinæ ſubſiſtentiæ. Quamquam enim libertas ad malum mala non eſt nec formaliter ſeruitus, ſed potius quidam dominatus, eſt tamen imperfecta, & occaſio ſeruitutis peccati quæ eſt maxima ſeruitus. Satis autem fuit libertas ad bonum tantum in Chriſto Domino, vt liberè ſeruaret omnia præcepta, tam naturalia, quam poſitiua, tam negatiua etiam quam affirmatiua, nec tantum vt perfectè ſeruaret; ſed etiam perfectiſſimè. Hæc ille.

Quomodo Deus eſt liber & quomodo Chriſtus.

Ratio pro concluſione ex verbis aduerſa-

Tunc ſic argumētor: In Chriſto non fuit libertas, & indifferentia ex parte potentiæ, ſed tantum ex parte obiecti,

ſed hæc libertas, & indifferentia ſalua- *riorum de*
tur in voluntate liberè agente ſubdi- *ſumpta.*
ta illi prædeterminationi diuinæ, ergo ſemper in ea ſaluatur vera libertas. Nam eo modo quo Chriſtus non poterat non velle bonum, & tamen illud liberè volebat in quantum actus voluntatis liberè egrediebatur, à voluntate in bonum, ergo etiam prædeterminatio, & præfinitio diuinæ voluntatis in bonum, non deſtruit libertatem quantum ad libertatem, vt ſic, licet illam deſtruat (vt ita loquar) quantum ad indifferentiam ex parte potentiæ.

Ex doctrina etiam aduerſariorum diſputo ſic. Multos prædeſtinat Deus quos nonvidit ſcientia illa conditionata bene vſuros ex hypoteſi, ſed iſti liberè ſaluantur, ergo illa præuiſio bonorum operum ex hypoteſi non eſt ratio quare prædeterminatio in particulari non deſtruet libertatem. Minor eſt de fide, Maior probatur ex aduerſariorum doctrina, & præcipuè ex Fonſeca qui ibi ſupra ſic loquitur. Et multos ex his hominibus quos *Multos*
in ſtatu conditionato perditum iri *Deus prædeſtinat*

quos videt non bene vſuros ſi in tali ordine rerum crearentur.

intelligebat ſaluos facile decreuit, & alios in ſua obſtinatione relinquere, igitur actus talium futuri: præfiniti ſunt nulla exiſtente præſcientia boni vſus liberi arbitrij, ergo præſcientia boni vſus non ſaluat libertatem.

Confirmatur etiam auctoritate ſanctiſſimi præceptoris noſtri qui 1. parte q. 25. art. 5. ait. Non poteſt eſſe, quod Deus aliqua faciat quæ non præſciuerit, & præordinauerit ſe facturum. vt 1. 2. q. 9. art. 6. ait. Interdum Deus ſpecialiter mouet aliquos ad aliquid determinate volendum quod eſt bonum, ſicut in ijs, quos mouet per gratiam. & q. 10. art. 4. ait. Quod ſi Deus mouet voluntatem ad aliquid, impoſſibile eſt poni quod voluntas ad ipſum non moueatur. Hoc idem tenet diuus Auguſtinus in lib. de libero arbitrio à 1. cap. vſque ad quartum vbi ſatis laborat ad conſiliandum liberum arbitrium cum diuina prædeſtinatione, & hoc habetur in pſalmis Intellexiſti omnes cogitationes meas de longe, & omnes vias meas præuidiſti. Et diuus Auguſtinus de gratia, & libero arbitrio cap. 14. ait. Itaq; Deus præuidens omnes actus poſſibiles liberos

Si Deus mouet voluntatem ad aliquid impoſsibile eſt quod voluntas non faciat.

ros ipſius voluntatis, præfiniuit, & cognoſcens naturam noſtræ voluntatis, & modum quo moueri poteſt, libere eam mouet ſuauiter, & efficaciter.

Miror igitur quomodo pater Molina hæc non viderit, qui prima parte q. 14. art. 13. diſp. 18. membro 2. ſic loquitur, veruntamen cum ex vna parte præfinitiones quales ab ipſis confinguntur, neque in ſcripturis ſacris, aut traditionibus, neque concilijs, aut ſanctis patribus fundamentum vllum habeant, quin potius arbitrij libertatem manifeſte euertunt ſcripturis eccleſiæque diffinitionibus repugnent, & à pauciſſimis ſcholaſticis ſint aſſertæ. Immo ſub eo nomine ante triginta annos ſint inter ſcholaſticos inauditæ. miror inquam quare iſte vir ita loquatur cum horum nominum id eſt, ſcientia media, merita preuiſa ſub conditione &c. Fonſecam fuiſſe primum inuentorem omnibus conſtet.

Molina ait hic noſtrā ſententiam neque Concilia neque ſancti Patres neque ſcolaſtici inſinuarūt; & in concordia diſp. cle. ſic ait. Haud ſcio an concertationes quæ ante mille annos quæ inter viros catholicos abortæ ſunt quantum par eſt ſunt compoſitæ.

Scio eundem Fonſecam in illa quæſtione 5. ſect. 15. & Suares exponere diuum Thomam de pręfinitionibus, & determinationibus quæ nō antecedūt, ſed conſequuntur illam ſcientiam cōditio-

natam,& ideo aiunt quod nullus doctorum, & ſanctorum patrum, immo neq; diuus Thomas cognouerit has præfinitiones, quia quandocunque de his præfinitionibus loquuntur ſemper intelligendum eſt, ipſos loqui de huiuſmodi præfinitonibus ſuppoſita tamen ſcientia conditionata.

Iã igitur vides (prudẽs lector) quomodo intẽtionem deſtruũt omniũ doctorũ, & pręcipuè diui Thomæ ſcholaſticæ theologiæ præceptoris, qui in ſuis operibus nunquãmeminit huius ſciẽtię mediæ, quæ ſi ita neceſſaria eſſet vt abſq; ipſa iſtæ prædeffinitiones deſtruãt omnino libertatẽ, mirũ eſt quomodo doctor clariſſimus prætermiſerit hoc ſubintelligendũ. Vnde firmiter credo quod ſi ille angelicus intellectus cognouiſſet, neceſſe eſſe quod ſciẽtia illa media præcedat iſtas præfinitiones, nõ prædiffinitiones, ſed poſtdiffinitiones prouidentiam, & prædeſtinationem appellaſſet.

Si dicant has dici prædiffinitiones relatas ad futuros actus creatarum voluntatum quæ fiunt in tempore, relatas autem ad illam ſcientiam conditionatam poſſent poſt diffinitiones appellari.

Ita tenet Fonſeca.

Sed vbi vnquam inuenerũt in Auguſtino, vel in Thoma prædeſtinationẽ dici poſt deſtinationẽ. Si neceſſarium eſt Deũ præfinire opera noſtra futura, magis etiã neceſſariũ eſt (per aduerſarios) præcedere ſcientiã conditionatã, Immo iſta prędeffinitio ad ſcientiãconditionatam dicit ordinẽ eſſentialem, cum dicãt Deum nõ poſſe præfinire, quin non deſtruat libertatẽ niſi præcedat hæc ſciẽtia. Ad res autẽ futuras dicit tantum ordinẽ accidentalẽ, cum nõ imponat illis neceſſitatem, ergo proprius has prędeffinitiones appellabimus poſt deffinitiones, quã prædiffinitiones, quod nullus adhuc catholicorum ſomniauit. Laudarem igitur potius Molinã aiẽtem. Et ſi diui Thomæ auctoritas grauiſſima ſit propter eã tamen recedẽdum nõ eſt à noſtra ſentẽtia ſolidiſſimis fũdamẽtis corroborata, quã iſtis crederem qui vt ſe credibiles exhibeãt, & auctoritabiles vt ſic loquar ſanctorũ doctorũ auctoritatibus abutũtur.

Aduerſarij perfinitiones appellant poſt finitiones.

Sed quis non mirabitur virum religioſum Suares? qui vbi ſupra ait, præelectionem nullomodo poſſe ſaluari niſi per hanc ſcientiam conditionatam, vel per prædeffinitionem phyſicam diſpu-

Suares ſibi nõ conſtat.

tans contra illos qui tenent Deum præfiniſſe omnia in communi, alioquin nulla daretur electio & prædeſtinatio, infra nihilominus ſic ait. quod ſi hæc ſciẽtia cõditionata non eſt admittenda potius ſe velle aufugere ad has præfinitiones in communi quam admittere præfinitiones phyſicas. Aufugeret enim ad electionem quæ non eſt electio, vultque potius (vt credo) tollere omnem electionem, & omnem præfinitionem quàm has prædeterminationes. Sed quicquid ſit de aduerſarijs probandum eſt adhuc præfinitiones phyſicas eſſe neceſſarias ſic.

Prædeffinitio, & prouidentia diuina non potuit eſſe de re incerta, & contingenti reſpectu ipſius Dei: etenim prouidentia, & prędiffinitio diuina omnimodã habet certitudinem in rebus prædiffinitis, & pręuiſis, id eſt, ſi Deus non pręfiniſſet omnes noſtras actiones, operatio noſtræ voluntatis fuiſſet incerta, & contingens ipſi Deo, quia erat indifferens, & indeterminata, & tota relinquebatur liberæ determinationi voluntatis ex qua vt ſic nihil certi proficiſci poterat. Immo fortuito & caſu

Digitized by Google

Deo tales effectus euenirent.

Huic argumento occurrunt aduerſarij dicentes, ſatis eſſe vt Deus certo ea ſciat, & quod caſu illi non aduenniant, quod præfiniantur poſt illam ſcientiam conditionatam, ſed non eſt neceſſarium quod ante illam præfiniantur. Immo reflectunt argumentum contra nos, ſic. Si præfinitiones ſunt, neceſſariæ ne aliquid caſu, & per accidens Deo eueniret, ſequeretur quod vel peccata non caderent ſub diuina præuidentia, vel quod caſu Deo euenirent, vtrumque tamen falſiſſimum eſt. Hoc argumentum petit illam difficultatem. Num Deus præfinierit peccata, & numerum reproborum ſicut præfiniuit bonum, & numerum electorum, de qua in fine quæſtionis dicemus.

Soluunt aduerſarij argumentum probans omnia Deo caſu euenire ſecundum eorum opinionem.

Dicimus igitur ad illam reſponſionem quod, & ſi per illam diſtinctionem ſaluet prouidentiam diuinam, circa omnia, tamen non abſolutam & adæquatam, quod ſic oſtendo. Futurum conditionatum habet rationem entis, vel non, hoc ſecundum non eſt dicendum. Nam Fonſeca 6, 94. ſeſ. x. ſic loquitur

proinde etſi ea quæ numquam erũt,minus participant rationẽ veri,quam quæ aliquando futura ſunt: tamen quatenus in his vel illis occaſionibus eſſent aut fuiſſent aliquã veri rationem quemadmodũ & entis habere. Si dicãt habẽt rationẽ entis conditionati. ly, cõditionati non deſtruit rationem omnimodã entis ſed tantũ diminuit, ergo Deus videt aliquid quod habet rationem entis, quod adhuc non cadit ſub ſua diuina prouidentia, nec hoc poteſt fugere Suares qui ait quod in illa ſcientia conditionata neque inchoatur diuina prædeſtinatio, & prouidentia.

Item probatur noſtra cõcluſio ſic, vel Deus poteſt facere vt creatura infabiliter faciat aliquem effectum, vel non; ſi primum habeo intentum, ſi ſecundum. Contra Deus ſcit quomodo cauſa libera determinabilis ſit ad effectum, ergo Deus illam poteſt mouere infalibiliter ad effectum, & vt liberè illum aſſequatur. Sed hæc quæſtio cum agemus de determinatione temporali clarior fiet.

Cõtra hanc cõcluſionem tria inuenio difficilia argumẽta quibus aduerſarij ſępe ſe muniunt, primum. Id quod impe-

Digitized by Google

dimento eſt ne voluntas creata in vtrãuis partẽ ſe in tẽpore determinare poſſit, tollit eius libertatem: huiuſmodi autẽ eſſet ęterna prædeffinitio diuina futurorũ actuũ creatæ volũtatis ſi more cõſiderãdi noſtro omnem Dei præſcientiã præcederet, talis enim prædiffinito ſeu præordinatio includit abſolutã Dei volũtatem. Voluntas autem Dei abſoluta nõ poteſt nõ impleri, quo fit vt tali prædeffinitione data ante omnẽ præſcientiam liberi vſus voluntatis creatæ, non poſſit ſe creata voluntas in vtrãuis partẽ determinare, hoc eſt ſua libertate vti. *Achilles aduerſariorum.*

Secundum. Si aliquis actus liber ante omnem Dei præſcientiam eſſet prædeffinitus ab æterno ſeu pręordinatus vt eſſet in hac, vt illa temporis differentia, nõ aliter ea prædeffinitio certo, & infalibiliter impleri poſſet, niſi determinante Deo in ea temporis differentia voluntatem creatam ad talem actũ. Hoc autem fieri nõ poteſt per quoduis externũ auxiliũ: Immo nec per omnia externa, & interna ſimul; quia his omnibus poſitis & relicta voluntatis vi cum intimo Dei cõcurſu adhuc actus omitti poteſt. Cũ igitur determinatio voluntatis ſi à Deo

Digitized by Google

fiat in tempore, plane tollat libertatem actus, quæ libertas tota conſiſtit in eo quod voluntas ſeſe determinet ad alteram contradictionis, aut contrarietatis partem. Dicendum nequaquam eſt vllum actum liberum futurum in tempore eſſe ex æternitate à Deo prædiffinitum ante omnem eius præſcientiam. Et ſunt hæ duæ rationes adeo efficaces (ait Fonſeca) vt non ſit neceſſe tertiam adiungere.

Tertium Argumentum deſumptum ex authoritate B. Thomæ.

Tertium ſumitur ex auctoritate diui Thomæ 1. 2. q. 9. art. 6. vbi ſic ait, Deus mouet voluntatem hominis ſicut vniuerſalis motor ad vniuerſale obiectum voluntatis, quod eſt bonum, & ſine hac vniuerſali motione homo non poteſt aliquid velle: ſed homo per rationem determinat ſe ad volendum hoc, vel illud quod eſt vere bonum, vel apparens bonum, quo nihil clarius dici poteſt dicunt aduerſarij.

Vt ab hoc tertio incipiamus quia ferre nequeo quod tãtam iniuriã imponãt aduerſarij ſanctiſſimo doctori, vt autem ſcias quæ nã fuerit mens eius. Aduerte quod in libro de prędeſtinatione c. 6. in corpore habet hęc verba, volũtas etiam

cum ſit cauſa vniuerſalis, & prima rerum omnium, nō excludit omnes proximas cauſas rerum nec hoc eſt ex inſufficientia voluntatis, ſed ex ordine ſapientiæ ipſius quæ effectus mediantibus aliis cauſis prouenire diſpoſuit, vt ſic etiam cauſandi dignitas creaturæ communicaretur. Vnde diuinæ voluntatis efficacia exigit vt non ſolum ſit quod Deus vult, ſed etiam vt hoc modo ſit ſicut Deus vult illud eſſe: hæc ille. Et paulo inferius rationem huius volens aſſignare ait. Quia licet voluntas hominis libera ſit, tamen hanc libertatem non habet niſi à Deo, qui eſt cauſa efficiens huiuſmodi libertatis. Ideo ſi aduerſarij velint ſanctiſſimi doctoris ſequi doctrinam ex his, duo poterint elicere corrolaria.

Primum ideo aliquid futurum eſt quia Deus vult illud eſſe. Secundum quia Deus vult vt illud libere eueniat ideo libere eueniet. *Duo correlaria ex doctrina D. Thomæ.*

Neque facit ad propoſitum id quod ait Vaſques 1. 2. q. 9. art. 6. quod ſcilicet Diuus Thomas loquitur de præfinitionibus ſuppoſita congrua vocatione, quæ niſi ſupponatur nulla poſſet

dari præfinitio in particulari, quæ non deſtruat libertatem, quia hæc gloſa non attingit mentem ſancti Thomæ, à quo ſi petes vnde prouenit quod hæc præfinitio ſtet cum libertate, non dicet quia præſupponitur vocatio congrua, ſed hoc præuenire ex ſumma efficacia diuinæ præfinitionis & quia Deus vult vt liberè eueniat. ſi enim ideo liber euenit quia iam futurus erat, iam ab eo non eſſet illa libertas. quod quomodo poſſit eſſe credas ſi intelligere nequis.

Neque vitium eſt currere ad ignorantiæ aſyllum, vt nobis perſuadere conatur Molina: nam maxima ſapientia eſt captiuare intellectum noſtrum in obſequium Chriſti ſicut fecit Diuus Auguſtinus qui ait quare hunc trahat & illum non trahat, noli quærere ſi non vis errare. Sed quicquid ſit de hoc redeamus ad tertium argumentum in quo Fonſeca more modernorũ mediam reſponſionem accipit, quæ videtur illi fauere, qui tamen ſi totam accepiſſet oppoſitum concluſiſſet.

Fonſeca non affert omnia S. Thomæ verba ſed aliqua.

Aduerte igitur, quod Diuus Thomas ibi loquens de homine in ſtatu na-

Digitized by Google

turæ integræ, comparat ipſum ad actiones naturales, tum ad actiones ſupernaturales. aitque quod homo ad actiones naturales & moraliter bonas, eget ſolo influxu generali ſine quo nullus effectus naturalis euenire poteſt in rerum natura, & poſito hoc concurſu generali, homo ſeipſum determinat in tale bonum, ad actiones autem ſupernaturales illud auxilium generale nõ ſufficit, ſed neceſſarium eſt aliud auxilium particulare quod faciat vt homo determinate velit aliquem effectum.

Diſputent igitur contra Diuũ Thomam ſi Deus præordinat, ſi Deus vult vt aliquid creatura libera faciat determinate, certo, & infalibiliter, quomodo remanebit libertas in voluntate ad vtramuis partem? ſi determinate quomodo indifferenter, quomodo libere, quomodo ſtant hæc duo ſimul? determinate, & indifferenter? determinate & libere? Negent igitur Diuum Thomam vel nobiſcum præfinitiones admittant.

Explicatur vera mens D. Thomæ contra Fõſecam.

Huic diſcurſui occurrunt aduerſarij, & præcipuè Fonſeca (quem auctorem huius tragediæ primũ fuiſſe exiſtimo)

Fonſeca fuit primus inuentor huius diſcordiæ.

aiens quod cum Diuus Thomas docet Deum aliquos mouere vt determinatè velint, ly (determinatè) non cadit ſupra actum voluntatis, ita vt faciat hunc ſenſum, Deus mouet aliquos vt velint determinatè hoc enim falſum eſſet. ſed ly determinatè oportet ſumatur ex parte obiecti, ita vt Deus aliquos excitat, & inuitat vt velint hoc bonum, aut illud determinatè. Facile eſt intelligere quàm ſit vana fuga, quàm peſſima gloſa, ergo ex ipſo habeo Deum excitare homines ad bonum determinatè, ergo non relinquit illis indifferentiam vt eligant quicquid velint, hoc, vel illud bonum. Nonne in idem rediit determinare voluntatem vt velit hoc, & mouere voluntatem vt velit hoc determinatè & non illud. Immò magis ſaluatur libertas in hoc, quod Deus præfinit vt voluntas aliquid determinatè velit non deſtruendo modum ipſius voluntatis, quam quod determinat, & ligat illam cum obiecto aliquo particulari.

Aduerſarij non placet vera reſpõſio,

Sed adhuc murmurant aduerſarij: nam, ſi Deus in æterna illa ſua deliberatione, nulla quaſi ſpectata conditionali notitia futuræ determinationis

Digitized by Google

creatarum voluntatum à ſeipſis: ſtatuit determinare in tempore ad actus bonos cur Diuus Thomas non retulit certitudinem diuinæ præcognitionis futurorum actuum illarum ad cognitionem actus ſuæ ipſius volũtatis, quos ſtatuerat ſe illas determinaturum ad huiuſmodi actus? Nunc video viros non ſatis in doctrina Diui Thomæ verſatos; relictis igitur infinitis locis quibus ipſe oſtendit quod ipſi videre noluerunt, vnum habeo ex tractatu de prædeſtinatione cap.3. circa finem, vbi ſanctiſſimus præceptor hæc verba habet. Quamuis igitur res non præſcirentur niſi eſſent futuræ, non tamen ideo præſciuntur quia futuræ. cum ergo dicitur res non præſcirentur niſi eſſent futuræ, non notatur ibi cauſa, niſi forte ſine qua non, ſed importatur ſolum conſeqnentia vnius ad alterum, tunc quere ſi Deus non nouit futura ex eo quod futura ſunt, ſed ideo futura quia nouit, vnde nouit niſi in cauſa illius futuritionis, & quænam eſt iſta cauſa futuritionis niſi ipſius voluntas, qua fecit quæcunque voluit?

Aduerſarij non ſunt bene verſati in doctrina D. Thomæ.

Non ergo ponimus has prædefini-

Digitized by Google

tiones in particulari vt effugiamus illam opinionem quæ ponit præfinitiones in communi(vt dicebat Suares) immo ideo ponimus præfinitiones rerum in particulari quia credimus neceſſarium eſſe ex parte ipſius diuinæ voluntatis dari has prædefinitiones, ita vt ſic formetur noſter diſcurſus, neceſſarium eſt Deum ante quamcunque ſcientiam præfinire omnem effectum futurum tum contingentem tum liberum, ergo dantur præfinitiones in particulari. Et non ſic. Non dantur præfinitiones in communi, ergo dantur in particulari vt exiſtimabant aduerſarij quod neceſſarium eſt fieri per præfinitiones, &c.

Satis fit primò aduerſariorũ Argumento.

Ad primum igitur eorum argumentum reſpondetur. Id quod impedimento eſt ne voluntas creata in vtramuis partem ſe determinare poſſit, tollit eius libertatem, ſi eſt impedimento ſimpliciter concedo, ſi ſecundum quid nego. Nam effectus contingentes & liberi ſi comparentur ad ſcientiam, & præfinitionem Dei ſecundum quid dicuntur neceſſarij, nempe ex ſuppoſitione quæ neceſſitas conditionalis eſt, & conſequentiæ, quæ non deſtruit contingen-

Digitized by Google

tiam rerum naturalem, neque actiones liberas; quia determinat ſuauiter & proportionabiliter ad naturam ipſarum cauſarum ita vt ſtante illa efficaci prædeterminatione æterna, ſecunda cauſa ita manet contingens ac ſi illa præfinitio non eſſet.

Præfinitiones non tollunt contingentia.

Sed dicunt aduerſarij, quid prodeſt voluntati quod natura ſua ſit libera, ſi ſtante tali præfinitione diuina non poteſt ipſa de facto ſeſe in vtramuis partẽ determinare: cum tandem illud infalibiliter eueniet quod Deus voluit aut futurum præſciuit. Ad hoc reſpõdetur quod liberum arbitrium non habet facultatem, ad hoc vt poſſit duo contradictoria ſimul operari, ſed ſuppoſito, quod velit vnum impoſſibile eſt quod velit oppoſitum. ſed libertas arbitrij conſiſtit in hoc quod ita vult aliquid, vt poſſit non eligere illud, quantum eſt ex intrinſeco iudicio operantis. Ideo dicimus quod licet hæc ſit neceſſaria propoſitio, Deus præfiniuit hoc futurum, ergo hoc erit, liberum nihilominus arbitrium libere illud exequitur quia ſimpliciter poteſt illud non exequi, quamquam nunquàm aſſequatur,

De hoc in ſecundo libro fuſior erit ſermo.

Digitized by Google

& hoc ſatis eſt vt ſeruetur libertas.

Ad ſecundum, in quo adhuc petitur illa perdifficilis quæſtio, Num auxilium efficax Phyſicè præmouens voluntatem, poſſit ſtare cum libertate arbitrij; reſpondebitur libro ſecundo.

Duo dubia incidentia.

Actiones Christi fuerint prædefiniti necnè.

SEd antequam vlterius progrediamur, dilucidanda ſunt duo dubia, verè digna ſciantur à viro Theologo. Alterum, Num actiones Chriſti, beatæ Virginis, & confirmatorum in gratia fuerint ab æterno præfinitæ. Quod nullam in via Thomiſtarum habet difficultatem, cùm ipſi benè concilient actus liberos cum diuina prædefinitione. ſed maximè torquet aduerſarios, qui propterea diuiſi ſunt inter ſe ad concilliandum hæc duo. voluntas Chriſti non poteſt flecti in malum, non poteſt non adimplere præcepta à patre ſibi commiſſa, & tamen liberè adimpleuit. Idem de confirmatis in gratia, quomodo ſcilicet poterant libere adimplere præcepta & adimplendo mereri, ſi ipſa non poterant non adimplere.

Ideo

Ideo Molina 1. parte, q. 14. art. 13. membro 4. in magnum incidit extremum, ne dicam errorem idem iudicium faciens de Christo redemptore noſtro, de confirmatis in gratia, & de omnibus aliis prędeſtinatis, & aiens certitudinem, quòd confirmatus in gratia toto vitæ decurſu à puncto, à quo confirmatus in gratia dicitur, non peccabit lethaliter, nec proinde amittet gratiam, reduci ad certitudinem diuinæ præſcientiæ, qua id futurum ea gratia, & iis auxiliis præuidit pro libertate arbitrij hominis ita confirmati, non vero reduci ad efficaciam ex ſe diuinæ præfinitionis; verbi gratia quod Diuus Petrus in die Pentechoſtes rationem habuerit hominis confirmati in gratia, pendens fuit tum ex eo, quod Deus conferre illi voluerit plenitudinem gratiæ, & auxiliorum, tum etiam ex eo, quòd Deus præuiderit Diuum Petrum cum ea gratia, & auxiliis pro ſua libertate non eſſe lapſurum in reliquo vitæ decurſu in lethale peccatum. Hoc vero ſecundum non ideo futurum erat, quia id præſciuit: ſed

Molina idẽ indicium facit de Chriſto & de confirmatis in gratia.

Digitized by Google

è contrario, idcirco præſcitum eſt à Deo quia pro libertate arbitrij Petri, ita erat futurum. Sanè quòd confirmatus in gratia, non poſſit in ſenſu compoſito non implere præcepta, quæ obligant ſub culpa mortali, nihil omnino libertatis tollit à confirmato in gratia, vt poſſit illa non implere ſi velit: quoniam ſi eorum aliquod non eſſet impleturus, vt re ipſa nihil impediente ea præſcientia poteſt, nunquam talis præſcientia in Deo fuiſſet, atque adeo neque Diuus Petrus ex eo, quòd Deus eam plenitudinem gratiæ, eaque auxilia ex æternitate illi conferre ſtatuiſſet, haberet rationem confirmati in gratia, & hoc ideo, quia confirmatis in gratia non debet denegari laus illa, beatus qui potuit tranſgredi & non eſt tranſgreſſus. Hæc ille.

Vnde eſt quod cōfirmatus in gratia non poteſt non adimplere præcepta.

Si dicas, quodnam erit igitur priuilegium, quod Deus intelligitur non prædeſtinatis non concedere? & quare aliqui dicuntur confirmati, alij vero nequaquam, ſed ſimpliciter prædeſtinati, cum in hoc omnes æqualiter ſe habeant? Reſpondet Molina, propter

duo. Primò, quia Deus manifeſtat ſe velle illos munire. Secundò, quia Deus ſtatuit talia auxilia alicui in toto vitæ decurſu conferre.

Si igitur quæras à Molina in quo differt Chriſtus à Diuo Dominico quem ſupponimus nullum commiſiſſe peccatum: reſpondebit; quia Chriſto fuit reuelatum, ſeu quia Chriſtus ſciebat habere gratiam, vt perſeuerare poſſit: Diuus autem Dominicus nequaquam. nihil igitur aliud eſt confirmatio quàm reuelatio decreti Dei. Sed profectò hoc eſt ignorare propriam vocem confirmationis: vt ait Medina 3. p. q. 27. art. 4. nam donum confirmationis nihil aliud ſonat, quàm ſingularem Dei prouidentiam, qua conſeruat, & veluti manu tenet confirmatum, ne labatur. Et ſi hæc doctrina Molinæ eſſet vera, ſequeretur quòd omnes ſancti, qui abſque peccato defuncti ſunt, eſſent verè confirmati in gratia: nam reuelatum, vel non reuelatum eſſe Dei ſecretum, nihil aliud eſt quàm extrinſeca quædam denominatio, & ſic Diuus Thomas erit ex illis, qui ſunt confirmati in

Quid eſt donum confirmationis in gratia.

Digitized by Google

gratia : nam Deus habuit æternum decretum conferre illi auxilia ne labatur in peccatum, vt de facto contulit : licet verè habebat libertatem (ſi libertas dici poteſt) ad non implendum præcepta ſicut & alij confirmati, nam iſte poterat & illi poterant peccare: certè reuelatio decreti nihil ponit in confirmato, ſed fit propter alios, vt innoteſcat Dei bonitas. reuelatio igitur eſt tantum ſignum confirmationis, & non confirmatio.

Volo igitur, confirmationem conſiſtere in illo decreto, quo Deus ſtatuit manu tenere confirmatum, ne labatur vnquam, ſed hæc manu tenentia eſt efficax, ita vt ea ſtante, impoſſibile ſit hominem confirmatum labi, & hoc decretum in prædeſtinatis reſpicit terminum vitæ, in confirmatis autem pro toto temporis curriculo, à puncto confirmationis, vſque ad finem vitæ. Num vero ideo Deus aliquos confirmat, quos videt perſeueraturos, & nunquam lapſuros: Immò ideo eos confirmauerit inferius videbitur.

Digitized by Google

Loquens etiam de Chriſto ait. nihil impedientibus capitibus aliis, quæ commemorata ſunt (ſcilicet vnione Apoſtolica) libertatem re ipſa habebat ad non faciendum ea, quæ facere ex præcepto tenebatur: ratio quippe viatoris ſimul, & comprehenſoris in Chriſto à puncto conceptionis ipſius in vtero virginis, vſque ad animæ exhalationem in cruce, in eo fuit poſita, quòd animæ gloria ita contineretur, vt voluntas Chriſti perinde eſſet libera ad præcepta implenda, vel non implenda, ac ſi eam gloriam non haberet, ſed eſſet purus viator, quoniam id erat neceſſarium vt poſſit mereri, vnde paulo inferius in reſponſione ad argumentum (licet concedat Chriſtum vt viatorem in ſenſu compoſito fuiſſe impeccabilem) in ſenſu tamen diuiſo ſicut alij defectibilem. ecce quomodo aduerſarij recurrunt ad hanc diſtinctionem ſenſus compoſiti, & diuiſi, equidem vel ſit reſpectu præfinitionis, vt nos volumus, vel reſpectu vnionis, vt vult Molina, hoc nihil refert, ſed ſatis eſt quòd in diſtinctione de ſenſu diuiſo ſaluetur libertas, ſecundum quem di-

Chriſtus in ſenſu diuiſo poterat peccare.

Aduerſarij vt ſaluent Chriſti libertatem recurrunt ad diſtinctionē ſenſus compoſiti & diuiſi.

cunt vere potuiſſe cum peccare.

Hanc opinionem impugnabo auctoritate, & doctrina aduerſariorum, & præcipuè Suares in opuſculis libro primo capite vndecimo vbi ait. Dicimus itaque voluntatem Chriſti Domini, ſicut ex vi vnionis determinata eſt ad non peccandum, ſeu facta eſt impeccabilis, ita non manſiſſe liberam ad peccandum. Si dicas quod Molina loquitur de humanitate Chriſti vt ſic abſtracta per intellectum, dico quod ſicut humanitas abſtracta per intellectum non poteſt exiſtere in rerum natura, ita nec operari, nec Chriſti humanitas appellari, probatur etiam falſitas huius opinionis ex Fonſeca quæſtione quinta ſect. vndecima qui ſic ait. Quocirca non rectè ſentiunt, qui dicunt Chriſtum dominum etſi in ſenſu compoſito peccare non potuit, potuiſſe tamen in diuiſo. Et paulò inferius. Quanquam igitur in Chriſti Domini voluntate reſpectu præceptorum non fuit omnis omnino libertas, quæ in noſtra eſt, quia non fuit libertas ad malum inobedientiæ: tamen fuit omnis perfectio libertatis ad bo-

Digitized by Google

num in obediendo. Et hoc eſt, quod vult dicere doctiſſimus Bannes prima parte quæſtione 19. articul. 10. quòd libertas arbitrij non conſiſtit in eo, quod eſt poſſe peccare, quamuis ex eo, quòd quis peccet; vel peccare poſſit, benè colligamus habere illum liberi arbitrij facultatem: ideo non ſequitur, hæc voluntas eſt libera, ergo peccare poteſt, & hoc eſt receptiſſimum apud omnes theologos. Hæc igitur ſententia tanquam falſiſſima reiecta, videamus quomodo alij ſaluent libertatem in operibus Chriſti, cùm ad bonum ſemper ſit determinata.

Opinio Molinæ reicitur tanquam falciſsima.

Pater Soto lib. 3. de natura & gratia cap. 7. quem videtur ſequi Fonſeca in fine illius ſectionis, ait, in Chriſto, & in confirmatis in gratia manere libertatem non quantum ad ſubſtantiam actus, ſed quantum ad modum: ſcilicet hoc tempore, hoc loco cum hac difficultate, cum hoc labore, cum tali intentione & obedientia, complacentia, &c.

In Confirmatis eſt libertas quantum admodum non quantum ad ſubſtantiam actus.

Et ſi obiicies, ergo Chriſtus non meruit, quia mortuus eſt, ſed quia cum tali, & tali intentione. Reſpondent, quòd

Digitized by Google

libertas circa diuerſos operandi modos in ipſam quoque operis ſubſtantiam redundat. Et ſi iterum obiicies. etſi præcepta fuiſſent Chriſto iniuncta etiam quantum ad modum (quòd poſſibile fuit) vnde habuiſſet meritum? Reſpondent, quòd in Chriſto ſemper relicta fuiſſet libertas ad maiorem, vel minorem perfectionem operum. Hanc opinionem tanquam falſam relinquo, & mitto te ad Medinam tertia parte q. 27. art. 4. vbi eam validiſſimis rationibus impugnat.

Quomodo Chriſtus meruiſſet ſi præcepta fuiſſent illi iniuncta etiam quantum ad modum.

Tertia denique ſententia eſt Suares vbi ſupra, & omnium aduerſariorum rectè ſcribentium, ſcilicet Chriſti voluntatem manſiſſe, non ſolum liberam ad operandum quò ad circunſtantiam actionum ſuarum, verùm quò ad ſubſtantiam, etiam quò ad voluntatem, qua pro nobis mori voluit. At ſicut Chriſtus (aiunt) liber fuit in his, quæ extra Deum clarè viſum voluit, & amauit: ita non habuit voluntatem ſuam Phyſicè prædeterminatam ad aliquem actum per extrinſecam actionem, vel motionem, ſed ipſe ſe determinauit concurrente Deo generali

concurſu &c. Hæc doctrina eſt in Fonſeca q.5.ſect.12.& eſt contra Molinam 1. parte q.14. art.13. membro 4. vult igitur iſte doctor, quòd, & ſi opus non eràt Deum conditionali ſcientia præſciuiſſe quibuſnam occaſionibus volũtas Chriſti obeditura eſſet diuinis præceptis antequam abſoluta voluntate ea illi imponeret (certum enim erat illum omnibus omnino eſſe obtemperaturum) cùm ne in ſenſu quidem diuiſo peccare poſſet, non fuiſſet tamẽ abſq; illa & ſic diffinitionem illam, ſeu prædeffinitionem, qua Chriſtus Dominus dixit ſibi fuiſſe diffinitum ab æterno illud genus mortis, ad quod ſe offerebat, non eſſe intelligendam ante omnem præſcientiam futuræ illius obedientiæ, ſed poſt conditionalem eiùs operis notitiam.

Chriſto nõ eſt iuſſum mori abſque ſcientia conditionata.

Liceat (benigne lector) parum hanc opinionem diſcurrere, vt ex verbis aduerſariorum noſtræ concluſionis habeas veritatem, ſic. Ergo illa ſcientia cõditionalis non debet appellari media, ſed merè naturalis. Probatur, tum quia antecedit omnem liberum actum voluntatis diuinæ, tum etiam, quia non fuit in poteſtate Dei ſcire aliud, quam

quod re ipſa ſciuit, cùm liberum arbitriū Chriſti oppoſitum nō erat acturū. Secundo illa ſcientia conditionali, qua Deus ſciuit Chriſtū obtemperaturū vel ſciuit Chriſtum obtēperaturū abſolute, vel ex conditione, non ex conditione, quia certum erat illum omnibus omnino eſſe obtemperaturū (vt præfata opinio docet). Si abſolute, ergo ante actum volūtatis diuinum ſciebat Deus aliquid futurū eſſe abſolute, quod nec aduerſarij cōcederent. Tunc vltra, ſcientia conditionata fuit inuēta ab iſtis doctoribus moderniſſimis, vt reconcilient præfinitiones diuinas cum libero arbitrio, ſed in Chriſto hæc ſcientia nullum habet locum, cū doceāt nō fuiſſe opus Deum ſciētia hac cōditionali ſciuiſſe &c. ergo &c. Redeamus igitur ad propoſitum; & petamus ab iſtis quomodo Chriſtus fuit liber reſpectu obſeruationis præceptorum, quæ nullomodo poterat tranſilire. Reſpōdēt, quia Chriſtus in eo momēto, in quo naturā noſtram aſſumpſit, addidit votum præceptis diuinis, ſibi impoſitis, quo voto emiſſo, nō eſt dubiū quin libere ea opera nouæ illius circunſtantiæ additione perfecerit. Vel quia

Arguitur ex aduerſarijs contra eoſdem.

Scientia conditionata non eſt neceſſaria ad cōciliandum liberū arbitrum cùm præfinitionibus &c.

Laborant aduerſarij vt ſaluent libertatem in Chriſto.

Digitized by Google

præcepta illa continebant diuini placiti ſignificationẽ, & alia fabuloſa, & abſurda, quæ breuitatis cauſa relinquo. ſemper currit enim meũ argumẽtum: nam poſito illo voto, vel illo beneplacito, vel quodcũque aduerſarij velint, peto num ſtantibus his, voluntas Chriſti de facto poſſit ſeſe in vtrãuis partẽ determinare. Reſpõdent, neceſſario quòd nõ tunc argumẽtor eorũ ſępe repetita propoſitione. Quod impedimento eſt ne voluntas creata in vtramuis partem ſe determinare poſſit, tollit eius libertatem, ſed tale eſt hoc pręceptum &c. ſi eſt vera propoſitio maior eſt contra illos, ſi eſt falſa eſt pro nobis.

Dicamus igitur cũ doctiſſimo, & modeſtiſſ. Bannes 1. parte q. 19. art. 10. cum Medina in 3. q. 27. art. 4. Cumel, & aliis Chriſtum Dominum ex vi conceptionis, & natiuitatis ſuæ habuiſſe gratiam, cui repugnabat fomes, & omnis inclinatio ad malum: Immo ex hoc fuiſſe perfectiſſimam libertatem in anima Chriſti, quia ipſe Chriſtus Dominus diuinæ prudentiæ circa ſe, ſuaſq; operationes prædeffinitionem, præceptumq; moriendi lumine gloriæ aperte, quaſi

Chriſtus intuebatur in eſſentia diuina præfinionem & præceptum moriendi.

excellentiſſimum exemplar intuebatur; quæ omnia ſuæ voluntatis libertatem perficiebant,& practicum iudiciũ intellectus illuminabant, quo Chriſtus certius, & euidentius iudicaret indifferentiam mediorum ad finem, & illorum ordinabilitatem, ſimul cum ordinatione ſeu prædeffinitione diuina. Abſit ergo à catholico, & pio theologo, vt libertati arbitrij diuinæ prouidentiæ, & diuinæ præfinitionis efficacitatem minuat, diuinique præcepti obligationem ſeorſum collocet, vt confirmatorum in gratia libertatem operandi aſſerat.

Secundum dubium.

Num peccata fuerint præfinita?

ALterum dubium petit num peccata præfinita fuerint à Deo, ab æterno ante præuiſionem peccatorum, quod magnam habet difficultatem in via noſtra, qui volentes omne futurum contingens, ſiue bonum, ſiue malum, ab æterno fuiſſe præfinitum conſequẽter (aiunt aduerſarij) dicere debemus Deum præfiniſſe peccata, & per conſequens eſſe cauſam primariam peccatorum, quod hereticum eſt: nam ſi Deus præfiniuit peccata ab æterno, ergo in

tempore determinat voluntatem ad illa; conſequentia videtur ſatis euidens.

Vt hãc difficultatem benè intelligas, Nota conuenire in hoc omnes, Deum nullomodo eſſe cauſam, & auctorem peccati, quia hoc repugnat infinitæ bonitati ipſius, & hoc eſt de fide in concilio Arauſicano determinatum vbi dicitur aliquos ad malum diuina poteſtate prędeſtinatos eſſe, non ſolum nõ credimus, ſed etiam ſi ſunt, qui tantum malum credere velint, cum omni deteſtatione illius, anathema dicimus. Et diuus Auguſtinus, de prædeſtinatione ſanctorum cap. 10. Inſanum omnino, & cõtra rationem eſt dicere voluntatem Dei ex Dei voluntate non fieri. Et adhuc conuenimus Deum habere ſcientiam peccatorum, ſed vnde Deus videt hæc mala; hic tota quæſtio.

Inſanum eſt dicere Deum poſſe determinare hominem ad peccatum.

Aduerſarij præcipuè Suares in opuſ. lib. 3. cap. 17. Fonſeca q. 5. ſect. 7. Molina, & omnes alij cito ab hac difficultate ſe expediunt, per illam ſcientiam mediam, dicuntque peccata cadere ſub diuinam prouidentiam, non quidem vt ſint; ſed vt poſtquam noſtro intelligẽdi modo, certo præſciuntur futura per

Aduerſarij per ſcientiã mediam ſe expediunt ab omnibus difficultatibus.

Digitized by Google

ſcientiam conditionatam, præfinitur eorum permiſſio. Et permiſſionem nihil aliud quàm negationem impedimēti eius mali, quod certo futurum eſt in particulari, quod poſſet à Deo impediri aſſerunt, Deus enim decernit non impediturum ſe illa ipſa in particulari, quæ præſcientia ſua certo, & infalibiliter ſcit ab hoc, vel illo committenda, ſi in hac, vel illa occaſione ponatur. Et Suares lib.2.ad 4.obiectionem, ait. Non poteſt eſſe infalibile, poſita permiſſione, futurum eſſe peccatum, niſi ex ſuppoſitione huius ſcientiæ.

Dicendum, his non obſtantibus, Deū in ſua pręfinitione, & in ſua volūtate cognoſcere, tum bona, tum etiā mala, quia ſicut præfiniuit bona, ſic etiam præfiniuit mala. & hoc eſt quod ſæpe ſæpius doctor angelicus docet Deum omnia cognoſcere in ſua voluntate, & hoc etiam eſt quod docent viri Theologi in doctrina diui Thomæ verſatiſſimi ſcilicet Deum cognoſcere mala, & peccata ſcientia viſionis, quæ in Deo ſequitur actum voluntatis.

Deus omnia cognoſcit in ſua voluntate.

Nota tamē diligēter, præfinitionē duplicē eſſe alterā poſitiuā, negatiuā. alte-

rá: Pręfinitio poſitiua eſt illa, qua Deus apud ſe quaſi deliberat velle in tempore determinare phyſicè per aliquod auxiliū volūtatem hominis alicuius. Et hæc propriè, & in rigore dicitur præfinitio. & hoc modo Deus nō præfinit niſi bona. Alia eſt præfinitio negatiua, qua Deus apud ſe deliberat nō velle cōferre alicui ſuū auxiliū efficax. Et quia volūtas creata infabiliter deficiet, circa quācunq; materiam virtutis, niſi efficaciter moueatur à diuina voluntate ad bene operandum; Quocirca ex eo, quo Deus cognoſcit ſuam voluntatem non velle determinare voluntatem creatam ad bene operādum, in materia (verbi gratia) temperantiæ, cognoſcit euidenter voluntatem creatam peccaturam. Ideo bona cognoſcuntur præfinitione poſitiua in quantum cauſa eſt infalibiliter determinata à prima, Mala vero præfinitione negatiua, in quātum cognoſcit ipſam non eſſe determinatam ad benè operandum. Quam quidem præfinitionem appellabo potius permiſſionem, quàm præfinitionem. *Quid præfinitio poſitiua, & quid negatiua.*

Ideo ne fallaris attende diligenter circa hoc nomen permiſſio, nam etiam

Digitized by Google

Omnes dicunt peccata eſſe ſolum permiſſa ſed diuerſo ſenſu.

in diuo Thoma, & Thomiſtis ſæpe ſæpius offendes, peccata non eſſe præfinita, ſed permiſſa, in qua verborum voce conueniunt etiam aduerſarij. At illi alio modo accipiunt. tunc enim Deus (ait Suares lib.2.cap.6.) dicitur permittere hominem labi, quando præuidens quod ſi in tali occaſione conſtituatur, & cum talibus auxiliis relinquatur, ſine dubio deficiet, nihilominus eum ſic cõſtituit: & ideo dici ſolet effectum permiſſum eſſe infalibilem, non tamen ex vi illius permiſſionis. Nos autem per permiſſionem intelligimus ſubſtractionem auxilij, per quam non fuiſſet ille malus vſus, & iſta ſubſtractio auxilij dicitur permiſſio, quia hac ſubſtractione relinquitur homo in ſua libertate naturali, quæ in malum neceſſario flectitur.

Quo intelligendi ſint ſancti quãdo docent peccata non eſſe præfinita.

Quando ergo audis ſanctos negare præfinitionem malorum, dic ipſos loqui de præfinitione poſitiua, de qua loquens Philippus Melacton ait. Deum eſſe cauſam peccatorum, & non minus perditionem Iudæ, quàm conuerſionẽ Pauli fuiſſe ex voluntate Dei, Et Caluinus voluntate Dei, homines peccare, quia credunt Deum prædetermi-

nare

nare hominē ad actum peccati, & mouere efficaciter ad illud. Nos autē quando dicimus Deum præfiniſſe peccata, hoc non intelligimus quantum ad decretum impoſitionis malitiæ, ſed quantum ad ſubſtractionem gratiæ, vt loquitur diuus Thomas. Et ideo hæc præfinitio ſubſtractionis gratiæ, dicenda eſt potius præfinitio permiſſionis peccati, quàm præfinitio ipſius peccati. Non ergo ita præfinit Deus vt in peccatum labatur quis, ſed ita, vt in ſua libertate relinquatur. *Ad Rom. 9* *Præfinitio peccati eſt præfinitio libertatis.*

Sed pater Suares vbi ſupra non potens ſufferre hunc veritatis ſolem, murmurat, aitque doctrinam noſtram non ſibi conſtare, Immo nec veritati conſonare, & probat hoc duabus rationibus. Prima; Subſtracto hoc auxilio, vel voluntas remanet ſuſpenſa, vel ex hoc ipſo, quod non prædeterminatur ad bonum, prædeterminari ad malū, ſi relinquitur ſuſpenſa, ergo requiritur adhuc aliud auxiliū efficax, ipſam prædeterminās ad malū, nam vos dicitis (ait) ad efficiendum bonum actum liberū, & moralē requiri prædeterminationē, phyſicā, nō propter aliud, quā propter ſubordi- *Aduerſarij dicunt doctrinam noſtram nō ſibi cōſtare.*

Digitized by Google

nationem voluntatis noſtrę,vt cauſa ſe-
cunda eſt,ad Deum,qui eſt cauſa prima,
ergo eandem prædeterminationem re-
quiri ad efficiēdos actus malos, ergo ex
ſola voluntate, qua Deus decreuit non
determinare voluntatem hominis ad
actum bonum, non poteſt infalibiliter
ſequi,quod voluntas humana determi-
nabitur ad actum malum:nam exiſten-
te illa negatione non poteſt ipſa ſic de-
terminari ad actum malum niſi præde-
terminetur.Si vero non remanet ſuſpē-
ſa,ſed hoc ipſo quod nō prædetermina-
tur ad bonum prędeterminatur ad ma-
lum,non occultent ſententiam (ait)ſed
dicant apertè cognoſci peccatum futu-
rum ea voluntate,qua Deus voluit prę-
determinare voluntatem hominis ad
actum malum,ex vi talis prædetermina-
tionis negatiuę,quod eſt contra ſanctos
patres &c. Immo pari ratione debent
dicere, Deum cognoſcere actum bonū
futurum, hoc ipſo, quod ſtatuit non
prædeterminare volūtatem humanam
ad actum malum, quia ex communi, &
ſtabili lege prouidentiæ etiam ſeque-
tur prædeterminaturum illam ad bo-
num cum non remanſerit ſuſpenſa.

Secundò ſequitur magnum inconueniẽs: quia ſequitur voluntatem humanã ſuæ naturæ, & efficacitati relictam, cum generali influentia primæ cauſæ, eſſe ex ſe determinatã ad operandũ actũ malũ: nam illa voluntas ſibi relicta cum communi influentia in omnibus actibus infalibiliter operatur malum. nam quæ maior prædeterminatio ad malum excogitari poteſt? quod eſt dogma Manichæorum, & Luteranorum, quia ipſi aiunt actum malum cognoſci futurum in voluntate hoc ipſo quod à Deo non prædeterminatur ad bonũ, ergo neceſſe eſt fateantur illam ex ſe, & ſecluſo intrinſeco agente, eſſe determinatam ad malum. Hæc argumenta petunt vt declaremus duo, & difficilia quidem, Primum, Num omnes actus boni tum morales, tum etiam ſupernaturales, ſint à Deo prędiffiniti. Secundum, Num ex vi ſubſtractionis auxilij à voluntate prædeterminetur voluntas ipſa in malum. *Secunda ratio Suarez.*

Quantum ad primum aduerte Thomiſtas docere Deum præfiniſſe omnes actus in particulari, tum ſupernaturales tum etiam morales. Et ratio eſt, quia ſi Deus præfinit omnes actus ſupernatu- *Num actus morales præfinian-tur.*

rales, etiã debet præfinire omnes actus morales bonos; nam eius prouidentia eſt infinita, ergo habet prudẽtiam omnium actuum bonorum, & ſicut prædeterminat auxilio efficaci voluntatem ad actus ſupernaturales, ita etiam prædeterminat eas ad omnes actus moraliter bonos, hanc opinionem ita veram exiſtimat doctiſſimus Cumel 1.p.q. 23. art. 3.diſp.2.vt opinionem contrariam, quæ negat has præfinitiones appellet temerariam & indignam viris Theologis.

Cumel appellat temerarios qui negant præſiniones actuum moralium.

Ad Suares dicimus voluntatem non determinatam ad bonum neceſſe eſt labi, ſed non ex vi illius ſubſtractionis auxilij: quia illa ſubſtractio auxilij nõ prædeterminat ad malum, ſed relinquit voluntatem in ſua libertate, in qua nudè relicta neceſſario cadet. Vnde aliud eſt dicere niſi Deus ſubſtraxiſſet auxilium, voluntas non peccaſſet. & aliud eſt, peccat, quia ſubſtrahit auxilium. nã ad immediatam ſubſtractionem auxilij non ſequitur immediate peccatum, ſed mediante libertate. Vnde ſubſtractio auxilij eſt cauſa, quare homo vtens ſua libertate labatur, neq; hoc eſt dogma Luteranorum, vt ait Suares, quia illi aiebant

Ad immediatam ſuſtractionẽ auxilii non ſequitur immediate peccatum.

volũtatem hominis eſſe determinatam ad malum, ita vt nequeat bonum facere: ſed hęc ſubſtractio auxilij non determinat voluntatem, Immo admodum liberam relinquit. Ita vt de ipſa ſemper erit verum dicere. Voluntas poteſt bonum, & malum agere, profecto ſi hæc ſubſtractio auxilij determinaret voluntatem in malum, voluntas peccando nõ peccaret, quæ determinatio ad actum malum ipſius voluntatis non eſt abſque præuia primæ cauſæ motione: duæ namque fiunt actiones ex parte Dei, vna quãdo negat illam in bonum determinationem, altera quãdo vt agẽs primum ipſam applicat ad actum malum, non vt malus eſt; ſed vt actus, & operatio bona. Quia vt benè inquit Medina 1. 2. q. 75. ar. 1. quando cauſa quæ producit effectum ex omni parte perfecta eſt, & omnibus modis indeficiens, defectus operationis non eſt in talem cauſam referendus; ſed oportet inuenire aliam deficiẽtem cauſam, ad quam referatur: vitium namque fructus in arbore non debet reduci in cauſas vniuerſales, quæ in ſuo genere ſunt perfectiſſimę, ſed in cauſam proximam, id eſt, in radicem arboris putridã,

Digitized by Google

& deficientem. Hæc ille ideò cum Fonſecam in 6.q.5. ſect. ſemel legebam riſus mihi adfuit, qui contra hanc veritatem diſputans aiebat. non eſſe neceſſarium Deum determinare noſtram voluntatem ſaltem ad bona moralia non difficilia qualia ſunt gratificari benemerenti, dirigere in biuio errantem, hæc ille, certe aliquid difficile attuliſſet, ſi hominem poſſe ſe determinari abſque prę uia motione, ſaltem ad occidẽdum pulicẽ; dixiſſet & difficilius Deum, non premouere ad actus prauos. à quibus omnibus liberaberis, ſi memineris Deum abſtrahere à conditione mala actus, num. 5. ſit facilis, num difficilis, num malus, num peſſimus, ſolumque actum reſpicere eſſentialiter. defectũ vero minime, quod tibi queſtione ſecunda concluſione tertia, vbi de hac habebitur ſermo, clarum fiet. Sed obſerua diligentiſſime Deum in hac motione præuia ad talem actum non cognoſcere malitiam actus, quia hæc præmotio non præmouet ad malum, ſed ad actum; ſed in illa negatione concurſus ad bonum, in qua tamquam in ſpeculo videt creaturam infalibiliter peccaturam, & ſic noſtra doctrina nul-

lam cõtradictionem inuoluit; ſed liceat mihi contra ipſos ſic argumẽtari, Deus ſcientia media videt Petrum peccaturum infalibiliter ſi in talibus occaſionibus poneretur. in quibus, nihilominus creat, ergo Deus eſt cauſa peccati ipſius Petri, vt alibi me dixiſſe memini.

Ad id vero, quod ſecundo ait. Deum cognoſcere effectum futurum contingens in cauſa determinata, volo. ergo determinatur à Deo vt mala eſt nego. ſcit enim Deus quòd ſubſtrahẽdo ſuum auxilium, voluntas infalibiliter determinabitur ad malum. ſcit etiam non ipſum eſſe cauſam talis determinationis, neque etiam per accidens. Ad id vero, quod vltimo addit, quod pari ratione, debemus dicere Deum cognoſcere actum bonum futurum, non reſpondemus, quia tale argumentum non eſt dignum tanto viro, nec meretur reſponſionem, ad actum namque negatiuum ſeu malum ſufficere negationem auxilij ex parte Dei, Ad bonum autem requiri prædeterminationem phyſicam & poſitiuam. Satis.

Argumentum Suares non meretur reſponſionem.

Digitized by Google

CONCLVSIO SECVNDA.

Nulla datur ſcientia media.

ANtequam falſitatem huius ſciẽtiæ mediæ oſtendamus, Aduerte nos cum aduerſariis cõuenire, Deũ habere perfectã ſcientiã futurorum cõditionatorum, nam in ſacris litteris habentur multa cõditionata libera, ſicut eſt illud, ſi in Tyro,& Sidone facta fuiſſent ſigna &c. & regum 23. quod ſi Dauid manſiſſet apud Ceilam tradendus eſſet in manu Saulis,& Io.15 .ſi me ſciretis forſitan, & patrem meum ſciretis,in quibus ſatis liquet Deum infalibilem habuiſſe ſciẽtiam futurorũ cõditionaliũ,ſed quæſtio eſt vbi nam illud futurum videbat, & quanã ſcientia illud cognoſcebat. Thomiſtę volunt Deum nullomodo potuiſſe illum effectum infalibiliter videre, niſi per ordinem ad ſuam voluntatem:

Deus habet ſcientiã futurorum conditionalium.

Digitized by Google

quia ſi talis vel talis occaſio præberetur, voluntas diuina hoc, vel illud volitura erat; in quo ſenſu loquebatur Diuus Auguſtinus lib. 6. contra paganos. vbi docet Chriſtum non alio tempore, vel loco veniſſe, quàm de facto venit, quia præuidebat Deus ſcientia ſcilicet ſimplicis intelligentiæ, quæ comprehendebat ſuam voluntatem, & quicquid volitura eſſet ſi talis, vel talis occaſio oblata fuiſſet. alioquin non eſſet comprehenſiua, quòd ſi alio loco, aut tempore veniſſet, pauciores, aut nulli in ipſum fuiſſent credituri.

Inter ſimplex futurũ & poßibile nullum datur medium.

Voluntque, inter ſimpliciter futurum, & poſſibile merum, nullum dari medium. Primum cognoſci ſcientia viſionis, Secundum ſcientia ſimplicis intelligentiæ, edocti ab eorum præceptore, & ſanctiſſimo 1. parte quæſt. 14. art. 9. in corpore, vbi volens nos docere quot in Deo genera ſcientiarũ inueniantur ſic ait. Quædam enim licet non ſint nunc in actu, tamen vel fuerunt, vel erunt, & omnia iſta dicitur ſcire ſcientia viſionis, & dat huius rationem. Quia cum intelligere Dei æternitate menſuretur, quæ ſine ſucceſ-

Digitized by Google

ſione exiſtens totum tempus comprehendit, præſens intuitus Dei fertur in totum tempus & in omnia, quæ ſunt in quocunque tempore, ſicut ſubiecta ſibi præſentialiter. Quædam vero ſunt, quæ ſunt in potentia Dei, vel creaturæ, quæ tamen nec ſunt, nec erunt, nec fuerunt, & reſpectu horum non dicitur habere ſcientiam viſionis, ſed ſimplicis intelligentiæ. Videat nunc Fonſeca, videant aduerſarij Angelicum doctorem docentem Deum cognoſcere omnia futura in ſua voluntate, nam ſi cognoſcit ea ſcientia viſionis, neceſſarium eſt quod ipſa cognoſcat in ſua voluntate, quia iſta ſcientia viſionis ſemper eſt coniuncta cum voluntate vt ex ipſomet doctore mille in locis habemus.

Duplex idea, exemplar & ratio cognoſcendi.

Idem docet quæſt. 15. art. 3. in corpore dicens idæam in diuinis aliquando dici habere rationem exemplaris, & pertinere ad practicam cognitionem, quia tũc eſt principium factionis rerũ, aliquando dicit rationem, & pertinere ad ſcientiam ſpeculatiuam, quia tunc ſe habet vt principiũ cognoſcitiuum ſolum. Secundum ergo (ait) quod exemplar eſt, ſecundum hoc ſe habet ad

omnia, quæ à Deo fiunt ſecundum aliquod tempus. Secundum verò quod principium cognoſcitiuum eſt, ſe habet ad omnia, quæ cognoſcuntur à Deo, etiam ſi nullo tempore fiant: & ſecundum quod cognoſcuntur ab ipſo per modum ſpeculationis. ecce quomodo doctor ſanctus inter ea, quæ aliquando erunt, & inter ea, quæ poſſibilia ſunt nullum agnouit medium. quomodo omnem ſcientiam diuinam eſſe vel practicam, vel ſpeculatiuam, omnem ideam vel ſe habere vt exemplar, vel vt rationem cognoſcendi, docuit.

Veriſſimum igitur eſt, quod Suares in opuſc. vbi ſupra de nobis ait, nos (ſcilicet) vel non agnoſcere, vel nolle credere huic ſcientiæ mediæ. fatemur inquam nos ea ſolum agnoſcere, quæ doctor noſter agnouit, & ideo, ſcientiam mediam nouam, & fictitiam eſſe exiſtimantes, nullo modo agnoſcimus. neque credere eidem volumus, cum ſolum credimus iis, quæ patres noſtri dixere nobis, & maiores noſtri annunciarunt. Huic vero ſcientiæ mediæ inuentatæ primo

Thomiſtæ non credunt huic ſcientiæ mediæ.

à Fonſeca à viginti annis (vt ipſe de ſe gloriatur) & poſtea à Suario, & Molina auctæ & rationibus confirmatæ nullo modo. Dicunt locum ab auctoritate negatiua nihil valere in Philoſophicis & Metaphiſicis, volo. in iis vero quæ pertinent ad rem maximi momenti, nego.

Sed magis mirandum, quod iſti doctores dicant ab omnibus doctoribus & patribus fuiſſe hanc ſcientiam cognitam, vnde concedunt hoc nomen (media) nunquam inuentum fuiſſe in ſanctis, Secundùm rem autem, verè omnes agnouiſſe hanc ſcientiam, quam ipſi mediam appellant, voluntque quæſtionem eſſe de ſolo nomine. ſed mirum eſt ſanctos patres, illi rei, quæ ſcientia media dicitur non potuiſſe inuenire nomen, quod ſatis facile fuiſſet ſi ipſam cognouiſſent: nam ſi inter ſciẽtiam viſionis & ſimplicis intelligentiæ, aliam ſcientiã agnouiſſent, miror quod tam ignari, & hebetes fuerint, vt nec quidem mediam nouerint appellare. ſed veniamus ad rem (ne quæſtio ſit de ſolo nomine) dicant, quid ſignificet ſecundum rem hæc ſcientia media?

Digitized by Google

Reſpondent ſcientiam neque pure liberam, neque pure naturalem, ſed participantem aliquid de libero, & aliquid de naturali, oſtendant mihi in aliquo doctore ſancto, vel ſcholaſtico hæc nomina & in Deo eſſe talem ſcientiam; & dabo manipulum, oſtendant inquam in Auguſtino, in Thoma, in Magiſtro hoc nomen ſeu potius rem quæ eo ſignificatur id eſt conditionatam. & ceſſabit omnis noſtra diſputatio, nec ſatis eſt dicere, hanc ſcientiam amplexati ſunt omnes in Italia & in Hiſpania vt ait Suares, nam ſi loquitur de Patribus Societatis verum illud fateor, ſed ſi de aliis præceptoribus loquatur dicã nullum me vidiſſe in Italia qui hanc ſcientiam mediam tanquam falſam, nouam & fictitiam non reiecerit (paucis dumtaxat exceptis.)

Neque nomen, neque res quæ eſt ſcientia media inuenitur in Patribus.

His rationibus quaſi inretitus Suares ait, quòd hæc ſcientia media eſt appellanda ſcientia viſionis, quia ſcientia viſionis non ſolùm eſt illa, qua Deus cognoſcit quicquid determinauit eius voluntas velle, ſed etiam, qua cognoſcit quid Deus voliturus ſit: itaque ſcientia media, etſi præcedat determi-

Digitized by Google

nationem liberam diuinæ voluntatis, vt in re poſitam, non præcedit tamen vt futuram. Tunc ſic argumentor, ergo Deum ſcientia viſionis cognoſcit ea, quæ ſunt in potentia ipſius, conſequentia eſt euidens, nam ipſe ait ſcientia viſionis Deus cognoſcere id, quod voluntas volitura eſt. Conſequens autem eſt expreſsè contra Diuum Thomam, vbi ſupra qui ait ea, quæ ſunt in potentia Dei, vel creaturæ cognoſci ſcientia ſimplicis intelligentiæ. Tunc vltra, Deus non poteſt non cognoſcere ea, quæ eius voluntas volitura eſt, ergo eſt naturalis, & neceſſaria, & non libera. Si dicat, quòd non eſt mere naturalis, quia poterat ſcire oppoſitum eius, quod re ipſa ſciuit, ergo non eſt omnino libera, neque omnino naturalis, ergo non eſt maior ratio quare potius ſcientia libera, quam naturalis appellanda ſit, imo & ipſemet Suares appellat ipſam naturalem: nam in opuſc. lib. 3. cap. 17. ſic ait Deum per infinitam ſcientiam quæ omne decretum liberum ſuæ voluntatis antecedit quæ vt ſic ſcientia ſimplicis intelligentiæ dici poteſt præcognouiſſe &c. & Molina 1.

parte quæſt. 14. art. 13. memb. 2. ait. Hanc ſcientiam propriè eſſe naturalem & non liberam atque à triginta annis in priuatis & publicis diſputationibus, à viginti vero in noſtris ad primam partem commentariis eam ſub nomine ſcientiæ naturalis idcirco dederimus quod libera in Deo non ſit omnemque diuinæ voluntatis liberum actum antecedat, nouiſſimè autem exactius quam vnquam antea, ſub nomine ſcientiæ mediæ eandem in noſtra docuerimus concordia, nemo ſanè poteſt iure id nobis vitio vertere, &c. Oſtendant igitur aduerſarij, quod illa ſcientia habeat magis de libero, quàm de naturali, & credemus illam includi ſub ſcientia viſionis. Hinc laudo vehementer Molinam, qui ait iſtam ſcientiam nullo modo poſſe appellari liberam.

Molina ait hæc ſcientia nullo modo eſt appellāda libera.

Sed aduerſarij (vt ad propoſitum redeamus) dicunt hæc futura conditionata cognoſci quidem à Deo, non per ordinem ad præfinitionem, & prædeterminationem ſuæ voluntatis, ſed ex eo, quod, poſitis aliquibus conditionibus, illud ſic liberè futurum erat. & loquuntur, non ſolum de rebus poſſibi-

Digitized by Google

libus, quæ nunquam habituræ ſunt eſſe, ſed etiam de rebus futuris in aliqua differentia temporis, & ponunt medium .s. futurum ex hypotheſi non poſſibile ac futurum abſolutè. nam diſtinguunt rem futuram in duplici ſtatu, conditionato, ſcilicet, & abſoluto. Cōditionato quidem cùm nondum conſideratur fore abſolutè, ſed ſi hoc, aut illud fiat, quo pacto conſiderabatur victoria, quæ de Turcis Pio quinto Pontificè, bello nauali obtinenda erat, ſub ea conditione ſi Chriſtiani principes ſanctæ illius vnionis fœdere expeditionem ſuſciperent. Abſoluto autem cùm conſiderantur forè, veluti cum Chriſtus conſideratur reuera futurus. voluntque idem iudicium eſſe faciendum de futuris in ſtatu conditionato conſideratis, & de poſſibilibus, hocque probant quatuor rationibus.

Idem iudicium de futuris & poſſibilibus iuſta conditionato.

Ac ſi Deus mendicaret prudentiā à ſcientia.

Prima affertur à Suares in opuſc. lib. 2. cap. 4. ſic, huiuſmodi ſcientia eſt vtiliſſima ad prudentiam, vt vel ex rebus humanis coniectare licet; nam ſi ego cupio aliquid alteri perſuadere: vt prudenter id faciam, multum confert prænoſſe in quo tempore, vt opportunitate,

rate, ſoleat ille melius eſſe diſpoſitus, & quibus rebus magis affici ſoleat, & ſic de aliis circunſtantiis: Quod ſi omnino præſcirem, quid eſſet facturus tali, & tali modo exoratus, talis cognitio vtiliſſima eſſet, ad ſtatuendum quid agere oporter, & ad applicandum media accommodata. Sed oportet vt ad omnem prouidentiæ modum Deus ſit perfectiſſimè diſpoſitus, vt intelligatur habere in ſe quicquid ad perfectiſſimam prudentiam, & prouidentiam conducere poteſt. ergo hæc ſcientia eſt maximè neceſſaria (hæc Suares) immò ad imperfectionem Dei ſpectaret ſi prius modo noſtro intelligendi, non certè ſciret prius, quinam liberi actus prodituri ſint ab agentibus liberis, ſi in tali, vel in tali occaſione ponantur. Hæc Fonſeca cap. 8. q. 4.

Deus eſſet imperfectus ſi.

Si dicatur quòd prudentiſſimus dux, vel pater familias, ſi poſſet prouidere domui, vel exercitui præordinando omnes ſingulas res, & particularia media ad conſequutionem victoriæ, certè id faceret in eoque ſplenderet maxima eius ſapientia, & prouidentia: ſi verò id non facit, idcirco eſt, quia id non

Cumel q. 12. art. 4. diſp. vnica.

Digitized by Google

poteſt, ſed Deus facillimè poteſt prouidere hoc modo de omnibus rebus, neque ea de cauſa tollitur libertas ab arbitrio creato: ergo prouidet prouidendo omnia in ſingulari. Ideo reſpondeo ad Suares, quòd ſi velit aliquid alicui perſuadere, bonum erit obſeruare tempus, & conditiones, ſolùm quia finis exitus non eſt ſecurus. At peterem, ſi deſiderando mille aureos, & ſcirem me illos infallibiliter habiturum à Petro, ſtuderémne quonam modo ille eſſet exorandus? & in qua temporis oportunitate capiendus? Minimè, profectò. Deus igitur, qui certo ſcit ſe habiturum quæcunque voluerit, iſtis conditionibus minimè ligatur: ſed ſimpliciter præfinit in particulari quicquid eſt faciendum.

Secundò ſi Suares poſſet ponere in mentem illius, à quo vult aliquid impetrare, aliquod per quod ita prædeterminaret mentē illius vt certus eſſet, ſe illud ab eo conſequuturum, cogitabit ne intra ſe ſi illud, & illud faciā, hoc habebo? quin potius ſtultitia eſſet manere ſub conditione in eo, cuius ſcit ſi-

nem infalibilem eſſe. Deus igitur, qui non expectat voluntatem noſtram, & conditiones loci, & temporis, vt aliquid velimus, ſed ipſe facit, vt velimus quæcunque volumus: certò ſcit ſe effectum conſequuturum in ſua ſola præfinitione voluntatis. tandem hoc argumentum petit principium in eo, quod ponit ſcientiam mediam, aitque multum iuuare ipſam admittere, quod probare debebat.

Molina diſputat contra reſponſionem.

Contra has ſolutiones inſurgit vehementer Molina 1. p. q. 14. art. 13. diſp. 18. memb. 4. aitque diſparem admodum eſſe rationem lucri, & victoriæ, & gubernationis domus, & fines naturalis, vel ſupernaturalis ad quos Deus rebus liberis prouidet. nam victoria &c. eſt finis ducis, ſic etiam lucrum eſt finis mercatoris, quem ſemper intdit, & quem ſemper aſſequeretur ſi poſſet. At vero finis naturalis, & ſupernaturalis, ad quos Deus liberis rebus prouidet, nō ſunt fines Dei, ſed ipſarũ, creaturũ, ita illis propoſiti, vt in ipſarũ poteſtate De⁹ relinquat peruenire ad eos aut non peruenire. vt ſic media cedant illis in meritũ, laudem, & honorem, &

fines ipſis in præmium.

Secundò argumentatur ſic Fonſeca cap. 2. quæſt. 4. Quia hac ratione (ait) dicitur Deus ſuauiter, & iuxta voluntatis naturam concurrere cum creatis voluntatibus, quia prius obſeruauit quid illæ in his, vel illis occaſionibus acturæ eſſent, ſi in eis ponerentur, eaſque occaſiones illis præparauit, ad quos actus, & cum quibus circunſtantiis ſciebat creatas voluntates à ſeipſis determinandas, alioquin rigido concurſu hoc obtineret.

Niſi ponatur hac ſciētia media nō erit infalibilis Dei prouidentia.

Tertia, ſi Deus hac ſcientia conditionata non præſciret futuros euentus liberos, non eſſet certa & infalibilis diuina prouidentia, quæ certis mediis, tamen accommodatis vtitur ad propoſitos fines naturas earum conducendum. Probatur ſequela, quia Deus multa intendit abſolutè efficere interuentu liberorum actuum creatarum voluntatum, verbi gratia in moralibus multa ſunt temporum ſucceſſu regna, & aliæ res publicæ, quas Deus certò, ac determinatè eſſe voluit, & in quibus certos reges, & præſides conſtituere decreuit, vt præſciuiſſe oportue-

Digitized by Google

rit, quinam, & quibus temporibus futuri eſſent, antequam huic quaſi deliberationi de hac rerum vniuerſitate condenda, abſoluta eius voluntas quaſi accederet.

Quarta, niſi hæc ſcientia conditionata ſupponatur, non poterit dari aliqua vocatio ita efficax, ita vt omnino infalibilem habeat effectum. Probatur, quia talis vocatio intelligitur efficax prius ratione, quam actu faciat, ergo prius ratione, quàm intelligatur Deum velle talem vocationem alicui conferre, cognoſcit illam vt efficacem, ergo cognoſcit quòd ſi illam det alicui, infalibiliter habebit effectum in illo, hoc enim eſt cognoſcere illam eſſe efficacem. Hæc eſt ſumma omnium rationum, quas inuenire potui in aduerſariis, quas ſoluemus ſi prius oſtenderimus, quomodo ipſi impugnent Deum non poſſe futura contingentia conditionata per ordinem ad ſuam præfinitionem cognoſcere.

Molina ergo 1. parte q. 14. diſp. 18. memb. 1. ait hæc futura contingentia conditionata nullomodo poſſe cognoſci per reſpectum ad diuinam volun-

tatem,& vt prolixitatem fugiamus ſumma rationum conſiſtit in hoc. Primò illa ſcientia, qua Deus ante decretũ ſuæ voluntatis nouit, adque decretum illud ſit determinaturum, & ſi ſit naturalis propter hoc, quod antecedit omnẽ actum diuine voluntatis, non eſt tamen omninò naturalis, & neceſſaria quia poterat cognoſcere cõtrarium, ipſa namque Dei voluntas cõtrariũ poterat velle, ac proinde cùm illa ſcientia non ſit innata Deo erit ſcientia media, quam auctores cum quibus diſputamus negant eſſe in Deo.

Deus non cognoſcit res in ſua voluntate.

Secundo diuina voluntas in ſe eſt indiferens, & libera, vt in quam partẽ maluerit ſe ipſam determinet, ac proinde ante eam determationẽ neque eſt, neque eſſe poteſt in Deo aliquid, quod repreſentet in quam partem ſe debeat determinare.

Tertio nõ video ait quomodo Deus ante determinationem ſuæ voluntatis cognoſcere poſſit vt ſi ſit determinatura, & quod poſtea libere, & nõ neceſſario ineſſe ſe determinet, quia non intelligo quomodo ſtare poſſit, vt v-

Digitized by Google

num & idem ſuppoſitum prius cognoſcat certam & naturalem determinationem ſuæ voluntatis, & poſtea libere, & non neceſſario in eam partem ſe determinet, ac proinde quomodo omnia neceſſitate naturæ, non eueniant, vt a tali cognitione & determinatione voluntatis proficiſcuntur, ac pendet.

Sed nihilominus neſcio qua ratione ducuntur aduerſarij, vt dicant Deum certo ſcire quid creatæ voluntates erāt in ſingulis oportunitatibus volituræ atque facturæ, ipſe vero de ſua voluntate neſciat quid ſit ipſa factura, nam quēadmodum diuina voluntas libera eſt reſpectu cuiuſque occaſionis, ita in ſuo gradu voluntas creata: vt vel de vtraque diuinus intellectus ſcire potuerit quid in vna quaque occaſione volituræ eſſent, vel de neutra. Immo videtur Deum facilius ſcire potuiſſe quid ipſe voliturus, eſſet in hac, vel illa occaſione, quàm quid voluntas creata, nos enim facilius ſcimus quid futurum ſit, vt ipſi velimus vel faciamus in hac, vel illa opportunitate. Itaque ratio cur Deus

Deus ſcit quid ſua voluntas volitura in tali vt tali oratione.

non minus ſuam quam creatam voluntatem ita penetrat, vt certe ſciat quid vtraque in qualibet occaſione amplecteretur, aut reiiciet, eadem eſt vtrobique, nempe quia intellectus diuinus cum infinitæ virtutis ſit, certo & euidenter cognoſcit omne verum. Cum igitur aduerſarij fateantur Deum penetrare actum liberum noſtræ voluntatis in talibus occaſionibus poſitæ, (quod an ſit verum inferius videbimus) non debent negare Deum etiam penetrare ſuo infinito intuitu quid voluntas eius volitura ſit, ſi talis occaſio daretur.

Iſti rationi ſe obiicit Molina, vbi ſupra, aiens non eſſe eandem rationem, vtrobique, quia Deus eminenter continet quodcunque arbitrium creatum, ipſe autem non habet aliquam naturam ſuperiorem, quæ ipſum tali modo comprehendat. Ne credas (prudens lector) me talem fixiſſe ridiculam reſponſionem; volui afferre eius verba. Ita enim ait, Et cùm non detur natura ſuperior Deo, quæ ipſum eminētiſſimo modo cōtineat, ſicut ipſe

Digitized by Google

modo eminentiſſimo continet quodcunque arbitrium creatum vtique non ſicut ipſe propter exceſſum infinitum ſuæ cognitionis ſupra entitatem, & perfectionem cuiuſcunque arbitrij creati, eminentiſſimumque modum quo illud comprehendit, agnoſcit in quam partem creatum arbitrium ſe flectere pro ſua libertate debeat, ſic vel quicunque alius ante determinationem ſuæ voluntatis agnoſcit, in quam partem ſe flectere debeat. hæc ille.

Tunc argumentor ſic, ergo ſi Deus haberet aliquem intellectum qui ipſum contineret eminentiſſimo modo, ſicut ipſe continet creaturas, ille intellectus comprehenderet quicquid Deus viturus eſſet, in tali, vel tali occaſione, ergo eſt aliquid comprehenſibile in Deo quod ipſe non comprehēdit, ergo Deus videt quid factura ſit creatura, & non videt quid ſit ipſe facturus in ſimilibus occaſionibus, ergo Deus comprehendit potentiam liberi arbitrij creati, ſuæ autem voluntatis quia eſt infinita, & à nullo eminentiſſimo modo poteſt contineri, nequaquam.

Reſpondet Molina quod id non eſt

Vt ex eius verbis coniectare licet.

neceſſarium, vt in eo priori dicatur ſeipſum comprehendere, quoniam ad ſeipſum comprehendendum, ſatis eſt quod penetret omnia ad quæ, ſua potentia, ſuus intellectus, & ſua voluntas ſe poſſunt extēdere, atque adeo ſufficit quod in ſua voluntate, circa quodcunq; obiectum penetret partes omnes, ad quas ſe poteſt determinare, vult itaque Molina Deum comprehēdere omnia futura, ſed non vt futura ſunt, quia hoc non repreſentatur illi per ideā. tunc peto, Si Deus cognoſceret ea, quæ voliturus eſt vt futura, iſta cognitio eſſet ne perfectior, credo quod non negabit: ergo Deo in illo primo tribuenda eſt. neque rationem ſufficientem aſſignat quare Deus videat ex ſua infinita comprehenſione, quid voliturum ſit liberum arbitrium creatum ex hypoteſi, & non poſſit videre quid ipſe ſit determinaturus ſi eadem poneretur. Immò ſi placet ſic retorqueo argumentum. Voluntas creata ad ea, quæ excedunt ſuas vires non poteſt ſe determinare (vt ſupra dictum eſt) ergo cùm egeat auxilio particulari prodiente à diuina voluntate miſericorditer illud largiente, non poterit Deus ſcire

vtrum ſe in tali, vel tali occaſione determinabit, niſi illam cognitionem capiet à ſua voluntate prius.

Suares in opuſ. lib. 2. cap. 7. alia incedit via, nam ait quòd hæc ſcientia non eſt ponẽda in Deo propter aliud quàm, quia nihil confert ad rerũ gubernationem, nec per eam Deus aliquid diſponit circa res gerendas: mea fide hoc voluntariè dictum eſt. Primò quia æque probaret in Deo nullam eſſe ſcientiam poſſibilium, quid enim diſponit Deus circa res gerendas per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ? Si dicat licet per eam nihil diſponat, tamen neceſſarium eſt vt præcedat, non enim poſſet diſponere, niſi ſciret res diſponendas, idem dicam de hac ſcientia conditionata, non enim poſſet diſponere, & bene, niſi cognoſceret quid ipſe ſit voliturus in tali, vel tali occaſione. Secundò non video quomodo illa eorum ſcientia media per reſpectum ad rei euentum magis conducat ad rationem prouidentiæ quam iſta quæ eſt per reſpectum ad determinationem diuinæ voluntatis. Non video inquam quomodo hoc ſcilicet ſi talis, vel talis occaſio

daretur Petro hoc faciet ſic magiſtrea neceſſarium quantum hoc, ſi talis vel talis occaſio dabitur Petro Deus hoc, vel illud volet vt ipſe faciat.

Fonſeca diſputat contra Molinam vt Suares.

Fonſeca autem aliam inuenit chimæram cap.1.q.4.ſect. 10. vbi ait, Non eſſe negandam hanc ſcientiam in Deo per reſpectum ad ſuam voluntatem, ſed iſtam præcedit alia, quæ reſpicit rei ſucceſſum in tali, vel tali occaſione (ſic igitur loquitur in reſpõſione ad tertium). Dicendum eſt Deum, ſua ſcientia conditionata, non ſolum ante omne decretum abſolutum ſuæ voluntatis, ſed antequam ſciret quid decreturus eſſet circa creaturas, certo ſciuiſſe, quid quæq; voluntas creata in hac, vel illa occaſione eſſet factura, vult igitur iſte doctor, Deum prius ſciuiſſe quid quæque voluntas creata actura ſit, ſi in talibus circunſtantijs crearetur, & deinde quid ipſe voliturus ſit, ſi talis occaſio dabitur. Ponitque duas ſcientias conditionatas. Primam, qua cognoſcit quid res factura ſit. Secundam, qua videt quid ipſe voliturus.

Quam benè aiebat Plato quod paruus error in principio, maximus in fine

ſine dubio erit, vidiſti (benigne lector) quanta ſecuritate defendebant hanc ſcientiam mediam, falſiſſimam, & erroneam, vides modo quomodo ſe, in omne latus vertunt, vt ipſam ſaluare poſſint. Vides in quantas prorumpunt falſitates, rationibus, & veritate conuicti, ita, vt alius neget Deum comprehendere ſuam potentiam, & quicquid ipſe eſt voliturus, alius neget illam ſcientiam pertinere ad rerum gubernationem, ita, vt illa ſcientia ponenda eſt in Deo, quę pertinet ad rerum gubernationem, ac ſi Deus eſſet Deus propter creaturas. Alius vt fingat duas conditionatas, & quod ea quæ reſpicit rei euentum, & creaturæ futuritionem, præcedat eam, quæ ex voluntate diuina dependet, quod quàm ſit falſum, tuæ prudentiæ iudicandum relinquo. *Aduerſarij ad maxima ducuntur in conuenientia.*

Ad argumenta igitur Molinæ reſpõdemus, illam ſcientiam, qua Deus ſciuit, quicquid eius volũtas volitura eſſet in tali, vel tali occaſione, eſſe neceſſariã, quia in Deo nullum contingens ponimus. Cognoſcebat igitur Deus neceſſario voluntatem eius libere volituram hoc, vel illud ex hypoteſi; poterat nam-

Digitized by Google

que non creare mundum ſicut poterat non creare Petrum in tali, vel tali ordine rerum, in ſenſu diuiſo, ſed cum credamus rem ita ſe habuiſſe, oportet conſequenter fateamur, Deum id neceſſario ſciuiſſe ab æterno: ſcilicet, ſe libere illud voliturum. Vnde illa ſcientia non eſt media, ſed eſt purè & merè naturalis, qua Deus neceſſario nouit ſe in tempore illud, vel illud voliturum: nec inferas ergo Deus neceſſario res creauit, quia ab æterno, ſe liberè creaturum mundum neceſſario cognouit, & per hæc patet quarti argumenti ſolutio.

Noſtrà igitur cõcluſio nõ ſolum negat ſcientiam mediam, ſed etiam negat ſcientiam conditionalem pendere ex euentu rei: quod ſic probatur. In cauſa indifferenti, & indeterminata non poteſt cognoſci effectus infallibiliter, hanc propoſitionem fatentur omnes Thomiſtæ, & præcipuè reuerendiſſimus Caietanus, qui 1. parte ait, futurum contingens, vt eſt in cauſis omnino indeterminatis, non poſſe certè cognoſci neque à creatura, neque à Deo: quod ſanè non prouenit ex defectu diuinæ cognitionis, quæ

Effectus in cauſa indeterminata nec à Deo cognoſci poteſt.

perfectiſſima eſt, & certiſſima, ſed ex defectu ipſius futuri contingentis, cui vt ſic, in ſua cauſa repugnat cognoſci. Idem docet Ferarienſis 1. contra gentes cap. 67. Hanc etiam fatentur aduerſarij: nam Suares in opuſculis lib. 2. cap. 2. ait, Ratio vero generalis eſt, quia effectus in cauſa cognoſci non poteſt niſi ſecundum eſſe quod habet in illa, ſed effectus contingens in cauſa ſua proxima etiam proximè diſpoſita ad operandum cum omnibus præ requiſitis, non habet eſſe certum, & determinatum, ſed indifferens: quia virtus cauſæ neque eſt ex ſe ad illum determinata, neque ex omnibus adiunctis ſufficienter determinatur: ergo futurus euentus non poteſt cognoſci certo in ipſa voluntate hominis: ergo cognoſcitur certò in ipſo decreto diuino. Probatur ſecunda conſequentia: nam ſi non in voluntate hominis, ergo in voluntate Dei, volue in ſua æternitate in qua omnia futura, vt præſentia, tanquam in ſpeculo lucidiſſimo cognouiſſe, volo etiam illud futurum contingens prius cognoſci in ipſo decreto

Deus videt futurum, contingens prius in

actu voluntatis quàm in eſſentia.

voluntatis. quomodo enim Deus poteſt aliquid videre in ſua æternitate, & in ſua eſſentia ab ipſo minimè dependens? ab ipſo minimè habens eſſe?

Reſpondet Fonſeca cap. 2. q. 4. ſect. 9. aiens, vnde cùm dicimus in cauſa libera ſecundum ſe ſumpta, & nondum determinata, nec à Deo quidem poſſe certo cognoſci futurum effectum, verùm id quidem eſt, neque enim in ea ſic accepta effectus cognoſcitur, niſi vt poſſibilis, ſed tamen certo & euidenter poſſibilis. Probabilis autem cognitio, quantumcumque magna ſit, & ſi aliquando eſt ſine formidine, nunquam tamen eſt ſine aliqua incertitudine, & ineuidentia, quo fit vt in Deum cadere non poſſit. Tunc argumentor ſic, Ergo ſi quis petat à Deo, Num Petrus creatus in tali ordine rerum cum talibus, & talibus circunſtantijs, in talem effectum particularem prorumpet? Oportebit dicere Deum neſcire euentum & rei futuritionem, ſcit tamen certiſſimè illã eſſe poſſibilem & in promptu erit ratio, quia in cauſa contingenti effectus cognoſcitur tantum vt poſſibilis. Tunc infero ſic, Ergo illa ſcientia, qua Deus illum effectum

Effectus in cauſa cognoſcitur euidenter poſſibilis.

ctum cognoſcit, erit merè naturalis, & ſimplicis intelligentiæ, quæ merè poſſibilia videt; ſi dicant: ſed non euidentiſſimè, dicam, ergo Deus aliquid non omnibus modis cognoſcit, per ſcientiam naturalem. Certè ſi hoc eſſet verum, ſcientia Dei non eſſet perfectiſſima, quàm ipſi tantùm eleuant aliquam perfectionem ei tribuere credentes, quando aiunt, quod ille effectus contingẽs licet ab intellectu creato cognoſci non poſſit: Deus tamen, altitudine ſui intellectus, ſupra id quod natura rei habet &c. Nam ego ſcio certiſſimè & euidentiſſimè quòd moriar ſi Petrus me deijciet à pinaculo templi, ſcio inquam certiſſimè hanc poſſibilitatem quòd ſcilicet ſi Petrus dabit eleemoſynam, Deus miſerebitur ſuorum peccatorum, ſcio inquam, euidẽtiſſimè quòd ſi Deus in tali & in tali, ordine rerum ponet, poſſibile eſt, vt illi conferat ſuam gratiam.

Alij autem, & doctiores, meo iudicio, præcipuè Suares lib. 2. cap. 7. in fine aiunt, Deum nullo modo cognoſcere effectum in ſua cauſa contingenti, cognoſcit nihilominus illum certiſſimè:

quia non ſiſtit in ipſis cauſis aut circunſtantijs, ſed ipſum ſucceſſum penetrat, ſic enim loquitur. Dicendum ergo eſt Deum cognoſcere hæc futura conditionata ſua infinita virtute intelligendi, penetrando immediatè veritatem, quæ in ipſis eſt, neque indigere aliquo alio medio, vt ipſa cognoſcat, nam ex virtute ſui intellectus apprehenſa quacunque re, ſeu quacunque complexione rerum à nobis enunciabili, naturaliter ex efficacia luminis, iudicat quid veritatis ſit in vnaquaque re, ſeu in quocunque obiecto cognoſcibili: quia veritas ipſa in ſe, & ſine alio medio videtur à Deo, quia nullum medium habet, & vnumquodque cognoſcitur à Deo ſicuti eſt.

Deus videt effectum contingentem ſed non in cauſa neque in ſua eſſentia ſed in ipſa re.

Hoc argumentum ſupponit efficaciam auxilij non eſſe à Deo, ſed prouenire ex libero arbitrio in eo quòd dicit Deum cognoſcere hæc futura, quia penetrat rei euentum, id eſt, quia videt voluntatem fultam talibus occaſionibus, auxilijs &c. illaſque efficaces redditu-ram; quod, Num verum ſit, inferius videbimus.

Secundò, Illa ſcientia media qua Deus certo cognoſcit infalibiliter rei euen-

tum futurum, vel dicit ordinẽ ad ſuam voluntatem vel non: ſi ſic, habeo intentum: ſi non, ergo Deus videt aliquem effectũ infalibiliter futurũ nullo præſuppoſito actu voluntatis, neq; præfinitiuo neq; approbatiuo, quòd quã ſit falſum, quis non iudicet? Si dicatur, cognoſcit ipſum certò futurũ ſub conditione. Peto, vel ly ſub conditione diminuit rationẽ certitudinis, vel non, ſi non, ergo currit argumẽtum, ſi ſic, ergo illa cognitio imperfectior eſt ea, quæ habebitur poſt decretum volũtatis: Sed quis dicet Deũ ita certè cognoſcere effectũ futurũ poſt decretum diuinę voluntatis, ſicut antea cognoſcebat ſcientia illa media conditionali? Non curo modo num poſſit intellectus ferri in effectũ, ſine eo quod feratur in cauſam; num poſſit certiſſimè cognoſcere effectũ nullo modo perſpecta cauſa, hoc. n. metaphyſicis, diſputandũ relinquo. Equidẽ ſi effectus in eſſendo dependit à cauſa, non video quomodo nullo habito reſpectu ad cauſam, certo poſſit cognoſci, Niſi fugiant ad altitudinem diuini intellectus, quod, quia ſine rationibus dicunt, veniamus ad alia.

Deus nullo modo poteſt futura conditionata cognoſcere niſi in ſua voluntate.

Digitized by Google

Quia Fonſeca adhuc habet vnam rationem cõtra nos, qui vbi ſupra ſic ſcribit. Quemadmodum ad perfectionẽ diuinæ potentiæ pertinet vt facere poſſit quicquid poſſibile eſt fieri, Ita & ad perfectionem diuinæ ſciẽtiæ, vt ſcire poſſit quicquid poſſibile eſt ſciri, niſi quòd Deus omnia ſimul ſcire poteſt etiam ſi infinita ſint, quia ſcientia Dei augeri nõ poteſt, nec tamẽ omnia ſimul facere, ne infinita ſimul in rerum natura dentur quæ dari nequeunt, & diuina item potentia exhauriatur, quę ex hauriri nullomodo poteſt, atqui huiuſmodi cõditionata etiam reuera non futura certo ſciri poſſunt. Certò igitur à Deo ſciũtur, aſsũptio ex eo probatur: quia omne verum certo cognoſci à Deo nullomodo dubitari poteſt, & hoc idem voluit dicere Suares, quando aiebat vnumquodque cognoſci à Deo ſicuti eſt.

Libro 2. de ſcientia condi.

Ad hoc argumentum reſpondemus primò concedendo Deum cognoſcere futura cõditionata, ſed quod cognoſcãtur in ipſo rei euentu, & in ipſa complexione rerum à nobis enunciabiliũ, Nego. Secundò reſpondeo, quod complexiones à nobis enunciabiles poſſunt fie-

Nota reſpõſionem.

Digitized by Google

ri in triplici genere rerum. Vel naturalium, vel moraliũ, vel ſupernaturaliũ. Si fiãt in genere rerum naturaliũ, nulli dubium eſt Deum cognoſcere euentũ certo futurum ex vi illius complexionis, verbi gratia, Deus certò ſcit quod ſi aufertur columna infalibiliter cadet lapis, Et quod ſi accendetur cãdela Petrus videbit Martinum exiſtẽtem in tenebris. Hoc etiam & nos certò cognoſcimus. Si autem fiant in actibus moralibus, qui pendent à libera voluntate hominis ad quos homo naturalibus viribus non poteſt pertingere, Deus nunquam ex vi illius complexionis poteſt determinatè cognoſcere effectum futurũ, quia ſemper impedibilis eſt & indifferens: Non enim poteſt Deus ſcire, num poſitus in talibus, & talibus circunſtantiis acturus ſim benè vel malè, cùm hoc pendeat à mea libertate, & ideô quacunque parte contradictionis data, remanet ſemper in me radix, ad faciendum oppoſitum, & hoc aduerſarij concedunt: nam dicũt Deum cognoſcere futurum euentum, quia ſic futurus erat, poterat tamen non eſſe. Non igitur in euentu rei liberę, ſed in ſuâ voluntate præfiniente, & volente

Digitized by Google

illud taliter futurum pro ſua libertate.

Ad primum igitur argumentum benè ibi reſpondebatur, ad replicam Molinæ dicimus concedendo fines naturales, & ſupernaturales eſſe intrinſecè ipſi homini, & concedendo in poteſtate hominis eſſe ad illos peruenire liberè: ſed negãdo quòd per præfinitiones & prædeterminationes phyſicas homo non perueniat ad illos libere. petit igitur principiũ, quia ſupponit in argumento Deum ducere hominem ad ſuum finem abſq; concurſu libero ſuæ voluntatis, quod in quæſtione eſt poſitum.

Molina petit principium.

Ad ſecundum reſpondemus negando propterea dici Deum ſuauiter, & iuxta voluntatis naturam concurrere, quia prius obſeruauit quid illa in talibus & talibus circunſtantiis eſſet actura, quia ſi hoc eſſet, Deus ſolum ſuauiter, & non fortiter concurreret cum noſtra voluntate; ſed ideo quia Deus ita mouet efficaciter voluntatem vt faciat ipſam velle liberè quæcunque velit.

Deus facit, nos velle liberè quæcumque ipſe vult vt liberè faciamus.

Ad tertium reſpondemus concedendo totum id quod argumento petitur, ſed hoc non prouenit quia Deus ſciuit quænam tempora futura eſſent ante-

Digitized by Google

quam aliquid abſolutè determinauerit, ſed quia Deus voluit talibus, & talibus tēporibus, tales creare Reges & Præſides, & facere illos regere, ſicut ei placuerit iuxta illud, cor regis in manu DOmini quocunque voluerit vertet illud.

Ad quartum reſpondemus concedendo, antequam Deus det alicui aliquam vocationem efficacem prius modo noſtro intelligendi cognoſcere illam vt efficacem, & cognoſcere etiam quòd ſi det illam alicui, infalibiliter habebit effectum, quia hoc nos docemus.

Si autem velint dicere ipſum cognoſcere futuram eam efficacem ex conſenſu liberi arbitrij, negandum eſt totum argumentum (vt inferius Thoma fauente videbimus). Satis.

Digitized by Google

CONCLVSIO TERTIA.

Prædeſtinatio nullomodo eſt ex præuiſis operibus.

VT hanc concluſionem benè intelligere poſſis, obſerua, ly ex præuiſis operibus, quia hic non eſt quæſtio. Num prædeſtinatio habeat aliquas cauſas phyſicas, nam nulli dubium eſt Deum eſſe cauſam efficientem & finalem ipſius prædeſtinationis, qui gratiam dat, & gloriam, & omnia operatur propter ſeipſum: Immo, & ipſe homo eſt vera cauſa phyſica reſpectu omnium effectuum prædeſtinationis in genere cauſæ materialis, quia, vt dicit diuus Auguſtinus, poſſe habere fidem naturæ eſt hominum, habere autem gratiam eſt fidelium. Dico etiam ex præuiſis operibus, quia non

Deus eſt cauſa efficiens & finalis prædeſt nationis, homo autem cauſa moralis.

curo pro nunc: num ex parte voluntatis Dei detur aliqua cauſa prędeſtinationis, quia hoc inferius videbitur. Sed loquor de cauſa morali, & dico nullam dari, quę moueat ipſum Deum vt nos prædeſtinet, ex parte ipſius hominis.

Dico nullomodo, id eſt; non ſolum de condigno, ſed nec etiam de cõgruo, propter antiquos theologos, & præcipuè Gabrielem in primo diſt. 41. vbi ait. Sumptâ prædeſtinatione pro vt verſatur circa media, dari diſpoſitionem congruàm ex parte liberi arbitrij, & nõ tollere rationem gratiæ, quia non eſt meritum de condigno. Additque difficile eſſe, ſaluare, apud Deum non eſſe acceptionẽ perſonarum, niſi poſita tali diſpoſitione. Et loquor nõ ſolũ de actionibus moralibus, quæ proueniunt ex viribus naturalib⁹ liberi arbitrij: ſed etiã de illis, quæ proueniunt ab ipſo, gratia informato. Et de cauſa morali, quæ modo noſtro intelligẽdi, ſit extra prædeſtinationem, illamque præcedat; nam intra ipſam prædeſtinationem non incõuenit vnum effectum particularem eſſe cauſam alterius: Immò hoc eſt neceſſarium; nam gloria eſt vnus effectus parti-

Gabriel dat meritũ de congruo prædeſtinationis.

Quæſtio eſt de effectibus quæ modo noſtro antecedunt prædeſtinationem.

Digitized by Google

cularis prædeſtinationis cauſatus à gratia, quæ eſt cauſa meritoria gloriæ, vtraque tamen eſt à Deo, qui ſtatuit ab æterno dare nobis gloriam ex meritis, iuxta illud. Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi &c. Et in his conuenimus cum noſtris aduerſariis.

Sed id quod principaliter intendo aſſerere, eſt prædeſtinationem non eſſe ex præuiſis operibus ex conditione ſeu ex hypotheſi futuris, tanquam conditione ſine qua non, vt media conſtituantur in ratione mediorum infalibilium: nam aduerſarij tenent Deum per infinitam ſcientiam, quæ omne decretum liberũ ſuæ voluntatis antecedit, quę vt ſic, ſciẽtia ſimplicis intelligentiæ dici poteſt, præcognouiſſe infinitos homines quos creare poſſet, & ad gloriam ordinare, & infinitos modos quibus poſſit illis prouidere & res omnes diſponere, ſimul præcognoſcens in quibus habitura ſunt effectum talia media ſi eis darentur, & qui eſſent cum his vel illis cooperaturi vel reſtituri. Stante ergo hac præſcientia, voluit quidem Deus decreto ſuo infalibili aliquos cum talibus circunſtan-

In quo conſiſtit prædeſtinatio ſecundum aduerſarios

Digitized by Google

tiis & auxiliis adiuuare, & in hoc conſiſtit prædeſtinatio: alios vero relinquere in ſua libertate, & in hoc conſiſtit reprobatio. Hæc Suares.

Molina etiam 1. p. q. 23. art. 5. memb. 11. ſic loquitur. Ita ex operatione eorum futura, tanquam ex conditione ſine qua non, pendeat quòd decretum Dei æternum circa vnumquemque eorum, ratioque illis prouidendi, vel rationem habuerint prædeſtinationis, vel ſolum prouidentiæ; Deo altitudine ſui intellectus certo ex æternitate præuidente quid futurum eſſet, cùm tamen ſecundùm ſe eſſet omninò incertum pēdenſque à libertate arbitrij, & in hoc dicunt ſe differre à Semipelagianis, quia illi aiebant merita præuiſa eſſe cauſam, quare Deus hunc non prædeſtinat, & illum ſic. Ipſi verò dicunt hæc merita præuiſa ſub conditione non eſſe cauſam meritoriam totius prædeſtinationis, ſed eſſe tantùm rationem ſeu conditionem ſine qua non. Et hoc probant efficaciſſimis argumentis.

Primò, ex illo Romanorum octauo, quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes imagini filij ſui &c. qui textus ſic intelligi debet, quos præſciuit

Quos preſciuit bene vſurus ex hypotheſi hos prædeſtinauit.

non ſcilicet benè vſuros libero arbitrio (ne incidant in opinionem, ſeu errorem Henrici) ſed.ſic, quos præſciuit futuros videlicet pro ſui arbitrij libertate ex hypoteſi, quod ex parte ſua eos adiuuare conſtituerit auxiliis, hos & prædeſtinauit. Id eſt, quos præuidit, vt tales forent, hos & voluit. Confirmatur auct. Auguſtini, qui ait, prædeſtinationem dici à præuidendo, & præueniendo, vel præordinando aliquid futurum, & propterea prædeſtinat, quia quale futurum ſit, præſcit. Si dicas, ergo Deus eſt alligatus vſui liberi arbitrij præuiſo? reſpondent, quamuis Deus alligatus non fuerit vſui liberi arbitrij præuiſo aliiſué circunſtantiis ex parte adulti prædeſtinandi; vt hoc vel illo modo illi prouidere conſtitueret, potuiſſe tamen ad circunſtantias, & ad vſum reſpicere, decenſque ac rationi valde conſentaneum fuiſſe, vt id ita faceret in multisque, re ipſa ad multa reſpexiſſe, conſtituendo aliqua propter circunſtantias, & vſum præuiſum, quæ alioquin non conſtituiſſet.

Secundo, ex diuo Petro, Satagite fratres, vt per bona opera certam veſtram vocationẽ faciatis, quibus verbis aperte

docet (aiunt) ex vſu arbitrij electorum in vnam, aut alteram partem pro eorũ libertate futuro, pendere quòd certa ſit, aut non ſit eorum electio. Si dicas Diuum Petrum loqui de vocatione, & electione ad gloriam, quæ per bona opera comparatur, non autem de ipſa prædeſtinatione collectiuè. Contra, Si in Deo extiterit præſcientia quòd per eum vſum vitam æternam Petrus conſequeretur, ergo etiam prædeſtinatio facta eſt, ex illo bono vſu futuro. Probatur conſequentia, quia eo modo res ſe habet in effectu ſicut ſe habet in diuina voluntate, & intentione, & ſicut res factæ ſunt in tempore, ita ab æterno volitæ ſunt à Deo: ſed in re homini datur beatitudo propter merita, ergo prædeſtinatur propter merita præuiſa. Patet conſequentia. Quoniam prædeſtinatio dicit voluntatem conferendi gloriam, ſicut reprobatio dicit voluntatem infligendi pœnam.

Tertio. Si Deus ſola voluntate vnum deſtinaret ad pœnã, alium vero ad gloriam, eſſet perſonarum acceptor, & præterea Deus eſſet crudelis, qui citrà cauſam ſola voluntate ſua hominem deſtinaret ad pœnam ſempiternam, Nã ex- *Si Deus abſque aliqua operũ præuiſione prædeſtinaret, eſſet acceptor perſonarũ.*

Digitized by Google

cludere à regno cœleſti pœnã includit.

Noſtra igitur concluſio innixa au-ctoritati eſt Diui Thomæ multis in locis & præcipuè 1. p. q. 23. art. 5. ad 3. vbi ſequens veſtigia Auguſtini, docet prædeſtinationem nullo modo eſſe ex præuiſis operibus, neque tanquã ex cauſa, neque ratione, neque conditione ſine qua nõ: Sic enim loquitur Diuus Thomas, Sed quare hos elegit in gloriam, & illos reprobauit, nõ habet rationem niſi diuinam voluntatem, hoc etiam dicit Diuus Auguſtinus ſuper Ioan. tractatu 26. ſed antequã vlterius progrediamur reiicio Molinam ab hac quæſtione.

Num. 316. Primò, quia loco vbi ſupra licet dicat ſe tanti facere iudicium & doctrinam Diui Thomæ, vt tunc ſecurius pedem figere arbitretur, cùm illum con-

Num. 288 ſentientem compererit: Supra autem ait quòd ſi illa verba Diui Thomæ ita intelligantur, quaſi Deus ante vllã præſcientiam vſus liberi arbitrij etiam ex

Molina ait quod verba D. Thomæ videntur redolere aliquod crudele.

hypotheſi futuri, atque adeo nulla omnino habita ratione talis vſus elegerit quoſdam in particulari ex hominibus & Angelis, quos voluit (vt eius verba, tum hoc loco, tum alibi, illam redolere videntur) ſatis dura & crudelis eſſet. im-

mò ait, licet D. Thomæ auctoritas gra- *Num.312.*
uiſſima ſit, propter eam tamen recedendum non eſt à noſtra ſententia, tot ſolidiſſimis fundamētis corroborata. Vnde loquens de duobus luminibus Eccleſiæ Auguſtino ſcilicet & Thoma, ſic ait. Quocirca ſi meũ hac de re iudiciũ quicquam põderis habet, ſuſpicor (ait hic ſuſpicor vbi prius dixerat, licet eorũ verba cõtrariũ redolere videãtur.) Auguſtinũ & Diuũ Thomã (qui Auguſtini veſtigia eſt ſecutus) ſua opinione illud primũ ſolum (s. quod prædeſtinatio eſt ex volũtate Dei, ſed nõ abſque præuiſione boni vſus) quod cum cõmuniori ſcholaſticorũ ſentẽtia nos libẽter amplectimur, intendiſſe potiſſimũ, licet hoc non expreſſerint, quod ſanè tẽpore Auguſtini nonnullos ex fidelibus turbauit. Neque aduertiſſe quantũ ad auferẽdã duritiã illã aliã, quam minimè intẽderũt, cõduceret additio illa (s. ſed non abſq; præuiſione vſus) quã nec negaſsẽt, ſi de ea fuiſsẽt cõſulti. tandẽ cõcludit ſic, immò verò eſto hi duo patres in eã sẽtẽtiã inclinaſsẽt, ſalua eorũ reuerẽtia quę illis debetur maxima, admittẽda nõ eſſet. Nolo igitur cum ipſo rẽ habere in hac quæſtione, quia ſic video pertinaciter in ſua opinione perſi-

Num.238. Molinæ modus loquẽdi, non redolet modeſtiam.

ſtentem, vt neque ab Auguſtino, neque Thoma (à quibus oritur veritas omnis theologica, & quos ſemper conſulit Eccleſia in difiniẽdis rebus fidei, quorum inquam, Molina non vult eſſe mecum condiſcipulus) velit doceri. Secundò, quia in illa diſputatione. non poſſum capere mentem eius, nam membr. 11. dixit hanc præſcientiam requiri tanquam conditionẽ ſine qua non, Quod etiam docet Suares lib. 20. de cauſa prædeſtinationis cap. 230. memb. 320. vbi ait, quia cooperatio illa ſolum ſub conditione præuiſa non poteſt inducere debitum, ſed ſolum eſt conditio neceſſaria &c. Membro autem 12. ſic loquitur Molina, cum frequentiſſime in eo clamem efficacitérque oſtendam prædeſtinationem nõ eſſe propter bonum vſum liberi arbitrij præuiſum, nec vt conditionem quidem ſine qua non, ſed pro ſola libera voluntate Dei, qui ſua dona diſtribuit pro vt vult: Immo & ſi mem. 11. dixerit prædeſtinationem eſſe ex bono vſu præuiſo tanquam ex ratione, mem. tamen 12. ait, vnde tam hic quàm vbicunque ea de re loquimur vniuerſim excluſimus ad inæqualitatẽ

Contradictio in Molina & probatur ex Suares.

vſus

vſus liberi arbitrij præuiſi tanquam ad rationem, radicem aut originem reduci poſſe, quare quidam fuerint prædeſtinati, alij non. Item, ſed ad ſolam liberam Dei voluntatem. Ex his omnibus, & ſi ſatis confusè dictis, elicio mentem Molinæ & omnium aduerſariorum eſſe hanc ſcilicet illā prædeſtinationem non eſſe propter vſum, ſed nihilominus eſſe ſecundum illum vſum. Tunc argumentor ſic.

Vel Deus poterat aliquem prædeſtinare ſine illa præuiſione vel non. Ex vna parte hoc ſecundum fateri tenentur. Primò, quia ab hac regula neque excipiunt prædeſtinationem Chriſti & ſanctiſſimæ matris eius: nam aduerſarij ſic loquũtur. Illud etiam quod ad exaltationem, laudem, & honorem Chriſti, ſanctiſſimæque matris eius ſpectat, mihi videtur admodum veriſſimile ſacratiſſimis eorum duorũ animabus non ſolum excellentiora dona Deum conferre decreuiſſe, ſed etiam eaſdem præuidiſſe meliùs quàm cæteras pro ſua innata libertate vſuras ſuo arbitrio, eaque ratione in tantam dignitatem potius, quàm cæteras electas fuiſſe. Secũdò, quia aiũt,

Molina num. 308.

Vidit Deus Chriſtum & matrē eius melius vſuros ſuo arbitrio.

Fonſeca num. 160.

Digitized by Google

Et ſi non opus erat vt Deus cõditionali ſciẽtia præſciret quibuſnã occaſionibus voluntas Chriſti obeditura eſſet diuinis præceptis, antequam abſoluta voluntate ea illi imponeret, tamen eam præſciẽtiam conſideratione noſtra propterea fuiſſe priorem, quia natura ſua præcedit abſolutam de rebus futuris, ea nimirum ratione, quia ad ſũmi molitoris & moderatoris perfectionem ſpectat omnia præſcire, quæ ex ſuo opere ſecutura ſint. Tunc conficio argumentum ſic. Inter ſcientiam conditionatam & abſolutam reperitur ordo eſsẽtialis, & naturalis dependẽtiæ vnius ab altera: ergo etiã inter obiecta talium ſciẽtiarũ reperietur talis ordo: ergo Deus nõ poteſt aliquid abſolutè velle, niſi præſciat illud eſſe futurũ ex hypotheſi: ergo prædeſtinatio depẽdet eſſentialiter ex bono præuiſo ex hypoteſi. Si depẽdet, vel tanquã cauſa, vel cõditio, vel regula, vel meritum de congruo, nã quando aliquid ita cõcurrit ad effectum aliquẽ producendum, vt effectus dicat eſſentialẽ dependentiã ab illo, & ſine eo effectus nunquam eſſet, profecto illud dicitur concurrere ad effectũ tanquã cauſam, & cõcauſam, vel ad mi-

Non erat opus vt Deus ſciẽtia media præſcinerit quid volũtas Chriſti actura eſſet

nùs tanquam conditionem, regulam,& mẽſurã. Profectò nõ poſſum intelligere quomodo hæc duo cohæreãt. Hæc ſciẽtia neceſſariò debet præcedere decretũ Dei abſolutum,& hoc decretũ non dependeat ab illa ſciẽtia. neque video, qua ratione, aduerſarij negẽt, merita prǽuiſa ſub cõditione eſſe cauſam meritoriã de congruo ipſius prædeſtinationis, Cùm perpetuò clamẽt, decens ac valde conſentaneũ fuiſſe rationi, vt Deus ita faceret. Immò magis propriè loquerentur, neceſſariũ fuiſſe, vt Deus hoc reſpiceret, cùm dicant ſcientiã conditionatã naturaliter & neceſſariò præcedere abſolutã.

Ad id verò quod Molina ait Mariam Virginẽ,& Chriſtũ electos fuiſſe in tantã dignitatẽ potiùs quàm cæteros, ea nimirum ratione, quia præuidit melius quàm cæteros pro ſua innata voluntate vſuras libero arbitrio; dico hoc eſſe cõtra ipſum Molinam: Nam peterem ab ipſo, ly melius, vnde prouenit, à gratia, an à libero arbitrio? vel à quo ſaltẽ magis principaliter? neceſſario debet reſpondere, à libero arbitrio, (alioquin nõ eſt quare præferat virginem, & Chriſtum ſuper cæteros) ergo etſi præ-

deſtinatio Chriſti & virginis ſit ex mera voluntate Dei, (ſed non abſque præuiſione illius vſus (vt illi dicunt) quod ſint prædeſtinati ſpecialiori & mirabiliori prædeſtinatione ſuper cæteros, prouenit tanquam ex cauſa ex illo meliori vſu præuiſo. Vnde ſi quis quærat, quare Chriſtus & beata virgo fuerunt prædeſtinati. Reſponderē, quia ſic Deo placuit, iuxta illud Matthæi 20. tolle quod tuum eſt & vade, an non licet mihi quod volo facere? Sed ſi iterum quæreret quare electi ſunt electione ſic admirabili? Reſpōdebo, quia præuidit eos perfectius & meliùs benè vſuros. Et ſi iterum obiiciet, Sicut ſe habet ſimpliciter ad ſimpliciter, ita magis ad magis: ſed prædeſtinauit magis, quia vidit magis benè vſuros : ergo prædeſtinauit, quia vidit benè vſuros. fateor me non poſſe ſoluere argumentum, ſoluant aduerſarij ſi poſſunt.

Quod Chriſtus & Beata Virgo ſint mirabiliori modo prædeſtinati eſt quia Deus præuidit eos melius bene vſuros &c.

Si dicāt, vt dicit Suares p. parte li. 2. de cauſa prædeſtinationis c. 23. omnia iſta concludere illam præſcientiam liberæ cooperationis eſſe conditionem neceſſariam (Molina nihilominus non vult illam præſcientiam ſe habere vt condi-

tionẽ, non autem quòd illa cooperatio ſit ratio meritoria, ſed ſolum quod ſit intenta per modum finis. Et Molina ſic loquitur cõtra iſtud. Hoc vero ſi in homine ſit prædeſtinato non eſt prædeſtinare propter illũ bonũ vſum neque tanquam ob cauſam cõgruentẽ, ſed eſt ſtatuere vnum particularem effectũ prædeſtinationis propter alium tanquã ob cauſam diſpoſitiuam & meritoriã illius. *Molina num. 310.*

Ex altera parte debẽt dicere quòd ſic, Primò, quia aiunt Deum non eſſe alligatum vſui liberi arbitrij aliiſuè circunſtãtiis ex parte adulti prædeſtinandi vt hoc vel illo modo illi prouidere ac opitulari ſtatueret. Secundò, quia aiunt non obſtantibus S. Abrahami obendientia & operibus bonis Cornelij potuiſſe ſtatuere, neque Abrahamũ tot benedictionibus cumulare, neque Centurionẽ peculiari illo modo ad Chriſti fidem vocare. Tertiò quia docent punctum prædeſtinationis abiſſumq; inſcrutabilis diuini conſilij in eo eſſe poſita, quòd cùm Deus infinitas alias rationes nouerit prouidẽdi non prædeſtinatis quibus pro eadem ipſorũ libertate invitã deueniſſent æternam, fuiſſentque proinde prædeſtinati, *Molina 305.*

itemque infinitas alias nouerit rationes prouidendi prædeſtinatis, quibus pro ſua libertate beatitudinem amitterent, fuiſſéntque reprobi, eum prouidendi modum vtriſque elegerit per quẽ præuidit illos in vitam æternam pro ſua libertate non peruẽturos, prædeſtinatos verò peruenturos, atq; adeò illos futuros reprobos, hos verò prædeſtinatos exiſtere. Sed relinquamus hoc tertium, ad ipſũ enim quamprimũ deueniemus.

Argumentum aduerſariorum reflectitur cõtra ipſos.

Tunc argumẽtor ſic; Deus poteſt prædeſtinare aliquẽ nulla habita præuiſione boni vſus liberi arbitrij: ergo temeraria eſſet Dei volũtas & imprudẽtiſſima, quæ aliquid vellet vt ſit, nõ præuidendo media, & cõditiones quibus illud ad finẽ deſtinatũ peruenire poſſit. Hoc argumẽtũ cõficiebãt aduerſarij probãdo neceſſitatẽ ſciẽtiæ mediæ: vnde eorũ argumẽto vtor contra ipſos ſic, ponendo caſum quòd Deus prædeſtinet aliquẽ nulla habita cognitione cõditionata boni, tunc diſputo ſic, ergo illa prædeſtinatio nõ eſſet infalibilis: nã ſi infalibilitatẽ & certitudinẽ prædeſtinationis credamus ſumi ex illa ſciẽtia media (vt ipſi volũt) & nos cõcluſione ſequẽti falſum eſſe oſtende-

m⁹) hac ablata nulla certitudo remanebit in prædeſtinatione, & ſi temeraria eſt illa volũtas quæ aliquid vult ſimpliciter eſſe, abſq; eo quòd intellect⁹ videat, quibuſnã occaſionibus, & circunſtantiis ad illud peruieniendum ſit, ſi aliquem Deus prædeſtinabit nullo præuiſo bono vſu liberi arbitrij ex hypotheſi ſi in tali, & tali ordine rerũ cõſtitueretur &c. Profecto temeraria eſſet volũtas eius, & quæ infalibiliter nõ poterit cõſequi effectũ. Si igitur iſti patres nolint, dicã volũtatẽ Dei eſſe temerariã Deumq; imprudẽtiſſimum, fateãtur cum Hẽrico præuiſionẽ operum conditionatã eſſe neceſſariã ad prædeſtinationem, vt potè inter eas datur eſſentialis ordo, ligatumque eſſe Deum vſui liberi arbitrij, quia ligatus eſt vt ita dicam, ne ſit temerarius.

Ad illud verò quod tertiò docent aduerſarij Deum præuidiſſe, quòd ſi Iudas, verbi gratia creatus fuiſſet in illis occaſionibus, & præuentus fuiſſet illis auxiliis, quibus fuit munitus ipſe Diuus Petrus, præuidiſſe inquam illum bene iſlis vſurum, & conſequenter prædeſtinationem fuiſſe conſecuturum. Dico proprius & verius loquerentur ſi dicerent

Deũ ſcientia ſimplicis intelligentiæ cognouiſſe infinitos homines procreãdos, & infinitas circunſtantias efficaces, quibus quotquot muniti fuerint ſaluabuntur infallibiliter; & poſtea modo noſtro intelligẽdi, decreto abſoluto, tales circũſtantias, & talia auxilia aliis contuliſſe, aliis verò negaſſe, & ſic nobiſcum conueniẽt. Probo hoc ſic. Nã inquiunt Deũ cognouiſſe multas occaſiones in quibus ſi poſiti fuiſſent hi, qui de facto non ſunt prædeſtinati, ſaluati fuiſſent.

Hinc apertè ſequitur Deum nouiſſe illas occaſiones eſſe efficaces natura ſua ſi dicant, nouit eſſe efficaces in tali, vel tali occaſione, ita vt liberũ arbitrium in illa poſitũ faciet illas efficaces. Tũc quæro. Quare Deus non adiuuat omnes tẽpore oportuno quos ſcit eſſe bene diſpoſitos ad agendũ? Reſpondent vnanimiter, vt oſtendat theſauros iuſtitiæ, & miſericordiæ ſuæ. Fateor reſponſionem piã & catholicã eſſe & ſaluare libertatẽ. At ex hoc non habent vnde contra nos clament: quæ enim non dicã bonitas & clementia, ſed æquitas patitur vt nulla omnino ratione vſus liberi arbitrij habita decreuerit, vt hi in particulari eſſent

prædeſtinati, & illi reprobati: Non eſt inquam quòd dicant id eſſe duri, feri, & crudelis, vt clamat Molina. Nam hoc maiori ratione illis eſt tribuēdum, quàm nobis: quia nos tenemus nullo habito reſpectu boni vſus liberi arbitrij Petri Deum ſua miſericordia illum prędeſtinaſſe, ipſi vero aiunt Deum præuidiſſe Iudam benè vſurum, & de facto conuerſurum ſub tali occaſione, ſub qua nihilominus eum non poſuit, nam in noſtra opinione non haberet vnde lamentari poſſit Iudas quare non fuerit prædeſtinatus, quia debet contentari, & quieſcere in mera ipſius Dei voluntate, At in opinione aduerſariorum benè & ratione poteſt conqueri de Deo, qui ipſum cognoſcens in tali occaſione benè vſurum, & illud bonum ex ipſo profecturum antequam more noſtro ipſum reprobaſſet, nihilominus non poſuit, nec prædeſtinauit, impediuitq; id, quod reuerâ futurum eſſet.

Quicquid autem ſit de mente aduerſariorum non curo, certus ſum ipſos nō poſſe explicare, quomodo merita prępuiſa neceſſario debent antecedere prædeſtinationem. Neque veriſſimile eſt id

quod dicit Suares, Id eſſe neceſſarium vt illa merita ſint intenta per modum finis; nam ſequeretur, quod Deus decerneret medijs infalibilibus perducere hominem, vel Angelum ad aliquem finem, quem ipſe abſoluta voluntate non voluit eſſe, ſed ſub conditione, & ſi verum eſt, id quod metaphyſici docent, finem eſſe primam cauſarum, & nobiliorem propter quem omnia ordinantur, ſine quo nulla eſſet actio, cùm omne agens agat propter finem, ſequitur quòd Deus moueretur ad prædeſtinandum propter illum finem. Vnde ſi illa merita præuiſa habent rationem finis, non dubitarem aſſerere, merita præuiſa ex hypoteſi eſſe non ſolum rationem, & conditionem prædeſtinationis, ſed eſſe veram cauſam in genere cauſæ finalis. Nec ſatis eſſet dicere habet rationem cauſæ in ratione finis: ſed iſta cauſa non eſt meritoria, neque etiam de congruo iſtius prædeſtinationis; quia hoc ſatis voluntariè diceretur, nam ſi hoc eſſet verum (volo quòd ipſa electio ſemper maneat libera in voluntate Dei) ſequeretur poſſe reddi rationem, non dico dignã, ſed congruã, quare Deus aliquos

Si merita præuiſa habent rationem finis ergo & aliquam congruitionem.

prædeſtinauerit: nam benè poſſet reddi hæc ratio; ſ. quia in aliquibus præuidit rationem cuiuſdã finis propter quem ordinauit media infalibilia. Nec vnquã hoc Theologus ſanæ mentis negabit.

Ad primum igitur reſpondetur primò, Argumenta illa non eſſe benè accommodata huic propoſito. Nam illis æquè probatur prædeſtinationem eſſe propter merita, & non ſolum (ſed non abſq; præuiſione meritorũ ex hypoteſi futurorũ). Secundo reſpondetur ex reuerẽdiſſimo Caietano ſuper eũdem locũ, quòd prçſcientia licet ponatur prius quàm prædeſtinatio, tamẽ reuera prior eſt prædeſtinatio quàm præſciẽtia: quoniam prius Deus ſecundùm modũ noſtrum intelligendi voluit prædeſtinatos eligere illoſque ad ſalutem ordinare conſequendam, deinde præſciuit illos fore incolumes & ſaluos. Vnde vult dicere diuus Paulus quòd illi dicuntur prædeſtinati, ſeu illos Deus prædeſtinauit, quos vidit ſcientia viſionis fore conformes imagini Filij ſui ìd eſt, illos ſolum præuidit fore conformes imagini &c. quos prædeſtinauit. Et hoc modo intelligendus eſt diuus Hiero-

Quos præſciuit, hos & prædeſtinauit eſt contra aduerſarios.

nymus ſuper Iere.cap.26.vbi ait.Nõ ex eo quod Deus præſciuit aliquid futurũ illud erit, ſed quia futurum eſt Deus præſciuit, id eſt. Non ideo aliquid futurum eſt, quia Deus præſciuit futurũ, ſed quia voluit illud eſſe futurum. Molina num.292.hoc etiam confitetur,vbi ſic ait,etenim Dei præſcientia quòd Petrus habiturus ſit gratiam, & gloriam, poſterior eſt decreto voluntatis diuinę, quo illum ſtatuit creare, & illi conferre media, quibus præuidet ipſum ad gratiam,& gloriam peruenturum. hæc ille. Et puto quòd ſi Hẽricus peteret à Molina quare potius,ly quos præſciuit fore conformes, referatur potius ad ſcientiam conditionatam quam ad bonum vſum liberi arbitrij, quòd nullam poſſit ei oſtendere cauſam quam ipſam liberam voluntatem exponendi ſcripturã.

Ad ſecundum benè reſpondebatur, quinimo diuus Petrus docet oppoſitum: nam quando ait ſatagite &c. vult dicere deducite ad effectũ & excutioni mandate quæ Deus ab ęterno decreuit: ſtatuit enim nos ex ſua gratia & meritis noſtris beatos facere. Ad illam vero propoſitionem diui Thomæ reſpon-

deo, ſi Molina ipſam intelligat ad mentem diui Thomæ, eſſe veriſſimam: nam diuus Thomas volens probare prædeſtinationem nullomodo eſſe ex meritis, ita loquitur art. 5. in argumento, ſupra & cōtra. Sicut autem ſaluos nos fecit, ita prædeſtinauit nos ſaluos fieri: nō ergo præſcientia meritorum eſt cauſa, vel ratio prædeſtinationis. Sed mirum eſt quòd illa eadem propoſitione, qua doctor Angelicus probat merita non eſſe neque quidem rationem prædeſtinationis, Molina nititur probare eam non eſſe abſque illis ex hypoteſi futuris.

Quapropter diligenter aduerte, illam propoſitionem negatiuè ſumptam veriſſimam eſſe, & facere ſenſum catholicum ſic, Deus facit nos ſaluos nō propter noſtra merita, ſed propter ſuā miſericordiam ſecundùm illud Pauli ad Titum 3. Non ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus &c. ergo ab æterno nos prædeſtinauit ſaluos fieri non propter merita. Affirmatiuè autem ſumpta eſt falſiſſima, & facit ſenſum erroneum dicendo ſic, ſed ſaluos nos facit per bona opera, ergo nos prædeſtinauit propter bona opera. Primo, quia bona opera meren-

tur gloriam, & ipſi aduerſarij nobiſcùm docent cum Angelico doctore vnum effectum prædeſtinationis eſſe cauſam alterius: vnde admittentes Deum dare nobis gloriam propter merita, negamus Deum nos prædeſtinaſſe propter merita. Secundò, argumentum nihil valet, quia tranſit de vno effectu particulari prædeſtinationis ad totam prædeſtinationem, Ideo non ſolùm nihil concludit, ſed æque bene contra ipſum; quia ſic diſputarem, dat gloriam propter merita tamquam per cauſam, ergo prædeſtinat propter merita, & ſic nō ſolum occaſio, & ratio ſed etiam vera cauſa meritoria daretur prædeſtinationis.

Ad tertium reſpondetur vt ſupra. Deū nullomodo ex inde eſſe acceptorem perſonarum: Immò in eorum opinione hoc maximè ſequeretur, vt oſtenſum eſt, & inferius cum agemus de auxiliis diffuſior habebitur ſermo. Satis.

Duo dubia incidentia.

HVic concluſioni annexa ſunt duo dubia. Primum eſt, Num detur

cauſa demeritoria ipſius reprobationis, ita vt ſicut prædeſtinationis, quæ pendet à ſimplici Dei voluntate non datur aliqua cauſa meritoria ex parte hominis, ſic etiam ipſa reprobatio ſimpliciter à voluntate Dei dependeat nullo habito reſpectu ad peccata, & mala futura ipſius hominis reprobi. Et id quod maximam facit difficultatem eſt, Quia diuus Thomas qui ſemper, & in omnibus Auguſtini veſtigia eſt ſecutus in hoc, ipſum relinquere videtur. Nam diuus Auguſtinus pluribus in locis & præcipuè in epiſtola 105. tomo 2. & lib. 1. ad Simplicianum q. 2. & in Enchiridione cap. 94. & lib. de prædeſtinatione cap. 8. ait, in hominibus dari causã reprobationis ex parte reprobati propter originale peccatum, ita ſanè quòd Deus ab æterno præuidit totam maſſam humani generis originali macula infectam ex peccato Adæ, ex qua maſſa ſtatuit Deus misericorditer quoſdam liberare, alios, vero iuſtè propter originale peccatum reprobare, ibidémque relinquere atque damnare, & ab eis debitum pro peccato exigere, & eius opinio fundatur ſuper illud Romanorum 9. antequam quic-

D. Thomas relinquit Auguſtinum.

Digitized by Google

quam boni, vel mali egiſſent, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt, quia maior ſeruiet minori, vbi citat Apoſtolus teſtimonium Malachiæ 1. Iacob dilexi, Eſau autem odio habui. In quo loco dicit diuus Auguſtinus, Quid enim diligebat Deus in Iacob antequam natus feciſſet aliquid boni, niſi gratuitum miſericordiæ ſuæ donum? & quid oderat in Eſau antequam feciſſet aliquid mali, niſi originale peccatum?

Diuus Thomas autem vbicunque de hac re loquitur, ſemper docet nullam eſſe cauſam reprobationis, ſed ſicut prędeſtinatio, ita & reprobatio voluntatem Dei vt cauſam habet. quam opinionem ſequuntur omnes Thomiſtæ & præcipuè Caietanus 1. parte q. 23. art. 3. Ferarienſis lib. 3. contra gentes cap. 161. Et ex modernis doctiſſimus Bannes 1. p. vbi ſupra pater Cumel ibidem, &c.

Hinc orta eſt magna diſſentio inter Modernos expoſitores, & aduerſarios noſtros. Nam Molina 1. p. q. 23. act. 3. ait, quòd reprobatio nihil aliud eſt, quàm iudicium æternum, quo creatura rationalis à Deo iudicatur indigna vita æterna;

Reprobatio eſt iudiciũ æternum

æterna, dignaque quæ æterna pœna puniatur cum propoſito eã perpetuo excludẽdi à regno cæleſti, aut ſimul etiam puniendi cruciatibus æternis, pœnáue ſenſus vel damni pro vt fuerint illius peccata. Fonſeca etiam ſexto cap. 2. q. 6. ſect. 1. ait, quòd in illo ſigno, quo Deus ſcientia conditionata præſciebat aliquos non eſſe perſeueraturos, In hoc ſigno, inquam, non reprobauit quemquã illorum, quia nõdum, more intelligẽdi noſtro abſoluta notitia id nouerat, ſed tantum permiſit ſeu potius ſe permiſſurum decreuit vt caderet & in ſua obſtinatione perſiſteret. In alio autem ſigno cùm Deus iã abſolutè præſcire poſſet in eo videlicet permiſſiuo decreto quod in ſuperiori ſigno fecerat, obſtinationẽ cæterorũ Angelorũ, & hominum futuram, merito reprobauit, hoc eſt, à futura beatitudine excluſit, & ad alias ipſorum inobedientiæ obſtinationéque dignas pœnas deſtinauit. *Reprobatio eſt iudiciũ æternum quo creatura rationalis à Deo iudicatur indigna vita æterna.*

Ex quibus doctoribus duo eliciuntur. Primum, contra diuũ Thomam. Secundum, contra diuum Auguſtinum, Tenẽt enim permiſſionẽ peccati non claudi in ipſã reprobatione cùm dicant reproba-

tionē nihil aliud eſſe quàm decretū puniēdi &c. vnde patet permiſſionē peccati eſſe extra eſsētiā reprobationis, quod eſt cōtra id quod docet doctor Angelicus 1. p q. 23. art. 3. in corpore vbi ſic ait. Reſpōdeo dicendū quòd Deus aliquos reprobat. Dictum enim eſt ſupra quòd prædeſtinatio eſt pars prouidentiæ: Ad prouidentiā autē pertinet permittere aliquē defectū in rebus quæ prouidentiæ ſubdūtur, vt ſupra dictū eſt. Vnde cū per diuinā prouidentiā homines in vitam ęternā ordinētur, pertinet etiā ad diuinā prouidentiā vt permittat aliquos ab iſto fine deficere. Et hoc dicit reprobare: Sic igitur ſicut prędeſtinatio eſt pars prouidētię reſpectu eorū, qui diuinitus ordinātur in ęternā ſalutē; ita reprobatio eſt pars prouidentiæ reſpectu illorū qui ab hoc fine decidūt. Vnde reprobatio non nominat præſcientiā tātum, ſed aliquid addit ſecundū rationē ſicut & prouidētia, vt ſupra dictū eſt: Sicut enim prædeſtinatio includit voluntatem conferendi gratiā & gloriā, ita reprobatio includit volūtatem permittēdi aliquē cadere in culpam, & inferēdi damnationis pœnā pro culpa, hæc ille. Vnde clarè patet

Sicut prædeſtinatio ita reprobatio à ſimplici Dei voluntate dependet.

Digitized by Google

diuum Thomam tenere permiſſionem peccati,& obdurationem illius eſſe effectus reprobationis non minus quã illationem pœnę damni aut etiam ſenſus.

Quo nihilominus non obſtante Molina credit oppoſitũ eſſe probabilius, ſic enim loquitur. Crediderim tamẽ,ſi propriè eſt loquendum, voluntatem permittẽdi peccata propter quæ aliquis reprobus damnatur, appellãdam non eſſe reprobationẽ neque includi in reprobatione. Rationes huius aſſignat. Primò, reprobatio approbationi opponitur ractionẽq; ſignificat,iudicio mentis actuque voluntatis firmatam, qua indignus excluditur à fine: Sicut vero nulla indignitas eius, qui erat in gratia antecedit permiſſionẽ primi peccati propterquã peccare permittatur, ita neque æterna volũtas illud permittẽdi eſt propter aliquã indignitatẽ in peccãte repertã, atq; adeo propriè nõ habet rationem reprobationis excluſionísve à fine vitę ętern.ę. *Molina dicit ſe proprius loqui D. Thoma.*

Secũdò, non ſolũ vt durũ, & à ratione alienũ ſeſe auribus ſtatim offert, voluntatem permittendi peccata propter quę reprobus dãnatur, appellare reprobationẽ, ſed neq; cũ vſurpatione eiuſdẽ *Durum eſt, reprobationem eſſe ex mera Dei voluntate intelligere.*

vocabuli quæ in ſcripturis ſanctis reperitur, conſentit. Etenim pro reiectione, & refutatione rei prius ſecundum ſe indignæ quæ acceptetur, & admittatur, ſemper accipitur. Voluntas ergo Dei æterna permittendi peccata propter quæ peccator reprobandus eſt, ſi propriè loquamur neque appellanda eſt reprobatio, neque quaſi pars illius, ſed ſolum conditio requiſita vt ſit reprobatio, Nec fortè aliud voluit diuus Thomas. Hæc Molina.

Mens Auguſtini circa reprobationem.

Id quod contra diuum Auguſtinum ex his doctoribus elicitur, eſt. Quòd diuus Auguſtinus non vult reprobationẽ eſſe ex præuiſo peccato actuali, ſed tantum originali: iſti autem tenent reprobationem eſſe tum ex peccato actuali in adultis, tũ ex peccato originali in infantibus decedẽtibus abſque baptiſmo: Nam Fonſeca ſic loquitur. Cùm iã Deus in ſuperiori ſigno decreuiſſet permittere, vt hi extra ſtatum gratiæ ſua ſponte vita excederent, & in eo decreto abſolutè præſcire poſſet, cũ primum in hoc ſigno id præſciuit eos omnes etiã paruulos cũ ſolo originali deceſſuros, à participatione ſupernaturalis beatitudinis

excluſit (quæ excluſio dicitur pœna dãni) eos autem qui in actualibus peccatis morituri erant, ad alias quoque pœnas, quas vocãt ſenſus, deſtinauit. Diuus igitur Auguſtinus ſuper eũdem locũ Pauli reiicit quandam reſponſionem falſam ſ. quod ideo nondum natorum alium oderat alium diligerat, quia eorum futura opera præuiderat. Et dicit Auguſt. mirum eſſe talem ſenſum acutiſſimum quẽ iſti aſſignãt defuiſſe Apoſtolo, cùm enim Apoſtolus rẽ ſtupendã propoſuiſſet, quomodo ſ. de nondum natis neque aliquid agẽtibus boni, vel mali recte dici potuerit quòd vnũ dilexit, & aliũ odio habuerit, ipſemet Apoſtolus ſibi obiecta quæſtione motum exprimens auditoris inquit ibidẽ. quid dicemus ad hæc? Nũquid iniquitas eſt apud Deum? abſit. Hic ergo erat locus oportunus vt reſpõderet Apoſtolus quod iſti reſpondent ſ. quòd quia Deus futura opera præuidebat, ideo Iacob elegit, Eſau autem odio habuit. Sed nihil tale reſpondit Apoſtolus, quin potius citat id quod dictum eſt Moyſi Exod. 33. Miſerebor cuius miſerebor &c. Hæc Auguſtinus. Concludit itaque non peccatum actuale, ſed pec-

Digitized by Google

catum ſolum originale eſſe cauſam reprobationis tum in adultis, tum etiam in infantibus.

Suares hæc omnia concordat antiquata diſtinctione.

Suares autē 1. p. diſtinctione quadam ſcotiſtica lib. 5. de prędeſtinatione conatur hæc omnia cōcordare diſtinguendo duplicē reprobationē ſ. negatiuam ſeu permiſſiuā, & poſitiuā ſiue affirmatiuā. Reprobatio negatiua eſt nō præordinare aliquē efficaciter ad vitam æternā, ſeu non velle illi vitam æternam. Et quòd hæc debeat appellari reprobatio, patet ex doctrina diui Thomæ ſup. art. 3. vbi docet quòd permittere aliquem déficere à finę vitæ æternæ eſt reprobare illū. Et reſponſione ad primum inquit quòd Deus in quantū non vult aliquibus hoc bonū quod eſt æterna vita, dicitur eos reprobare, ſeu odio habere. Vnde ſicut efficax præordinatio ad æternā vitā de facto conſequendam eſt prædeſtinatio, ita negatio quo ad hāc efficacem præordinationem dicitur reprobatio. Reprobatio vero poſitiua eſt, præparatio æternæ pœnę, vt docet diuus Thomas ad Rom. 9. lect. 2. vbi aſſeuerat quòd ſicut præparatio gloriæ eſt prædeſtinatio; ita præparatio pœnæ eſt reprobatio. Et cū hoc ſit quid affirmatiuum & poſitiuum,

Digitized by Google

merito vocatur poſitiua reprobatio. Qua poſita diſtinctione, dicũt recentiores nõnulli Theologi cũ Suares vbi ſupra, quòd reprobationis negatiuæ nulla datur cauſa demeritoria ex parte hominis. Nõ enim eſt ex præuiſis culpis negatiua reprobatio. Etenim huius negationis quæ eſt nõ velle alicui efficaciter vitam æternam, neque illũ efficaciter præordinare in beatitudinem æternam, nõ eſt peccatum aliquod hominis cauſa, neque opus eſt præuiſione culparum vt Deus non velit præordinare efficaciter aliquem in vitam æternam, ſed id quidẽ pendet ex ſola Dei voluntate, datur tamen reprobationis poſitiuæ, quæ non poteſt eſſe abſque peccati præuiſione.

Sed hæc cõcordatio prorſus futilis eſt & friuola quæ ponit actũ reprobatiuum ſeu reprobationẽ cõſiſtere in quadã negatione nõ eligẽdi, ita vt reprobare nihil aliud ſit quã nõ eligere & nõ prędeſtinare. Si dicat, In illa reprobatione negatiua non conſiſtere veram, & perfectam reprobationis rationem; Iam habeo intentum: quæſtio enim noſtra eſt in quonam conſiſtat vera, & adæquata ratio reprobationis. In hac ergo grauiſſima diſputatione dicẽdum primo permiſſionẽ *Vana concordia Suares.*

Digitized by Google

Reprobatio non eſt actus negatiuus, ſed poſitiuus.

relinquendi aliquem in peccato non eſſe actum negatiuum ipſius diuinæ voluntatis,ſed poſitiuum.Itaque Deus habuit hunc actũ ab ęterno, volo permittere hæc peccata, volo quibuſdam non dare auxilia quæ ſi reciperent non peccarent.

Sed hoc non eſt confundere voluntatem permittentem cum voluntate præfiniente, vt dicit Suares in opuſ. lib. 2.ca.5.quia præfinitio reſpicit immediate obiectum volitum, permiſſio autem etſi dicat præfinitionem illam permittendi,non eſt tamẽ abſolute præfinitio, quia non præfinitur res, ſed permiſſio rei. Probatur, Quia permiſſio peccati bona eſt & ad bonum finem ordinatur; ergo diuina voluntas vult permittere peccatum & de facto permittit quando ſubtrahit auxilium, nam ſi purè negatiuè explicaretur diuina voluntas circa permiſſionem peccati, non pertineret ad diuinam prouidentiam differentia prædeſtinatorum,& reproborum. Quãtum ad hoc quòd Deus voluerit prædeſtinatos manere in bono,alios vero permiſerit cadere in peccatum, & in illo permanere.Probatur ſequela,quia Deus

non ſciens & prudens voluiſſet talem diſtinctionem, ſed prædeſtinatos ſibi accepiſſet, circa alios verò non adhibuiſſet curam aliquam, ſed perinde ſe habuiſſet circa illos ſicut eos, quos nunquam creaturus erat, quantum ad hoc quod pertinet ad vitam æternam obtinendam, vel non obtinendam. Illa igitur permiſſio peccati quam ipſi appellant non electionem, eſt verè effectus reprobationis neque eſt negatiuus, nam voluntas Dei non manet ſuſpenſa nec mere negatiuè ſe habet circa aliquod obiectum.

Reſpondet Suares vbi ſupra propoſitionem nil concludere, quia non inconuenit quòd in illo ſigno, in quo ratio noſtra præintelligit voluntatem diuinam vt nihil extra ſe volentem; intelligere etiam eſſe ſuſpenſam & poſtea præuiſo peccato ſe liberè determinantem, licet in inſtanti æternitatis ſemper ſit verum dicere Deum habere actum poſitiuum excludendi aliquos à regno &c. Contra ergo in illo ſigno Deus nullum actum habuit prouidentiæ circa reprobos. Reſpondet Suares in illo primo ſigno habuiſſe Deum circa non ele-

ctos aliquos actus poſitiuæ voluntatis & prouidentiæ ſuæ ſcilicet actum ſimplicis voluntatis, qua ex parte ſua voluit illos ſaluare. Contra velle ſaluare omnes commune fuit tum prædeſtinatis tum reprobis. Quod fuit volitum in alio priori ſigno antequam quemquam prædeſtinauerit aut reprobauerit, vt ipſe fatetur, in alio ergo ſigno in quo Deus intelligitur aliquos prædeſtinaſſe id eſt voluiſſe illis ſalutem, num habuit aliquem actum prouidentiæ circa reprobos? Tenetur dicere quod non cùm credat Deum quemquam haud reprobaſſe in hoc ſigno ſed in alio, ſcilicet poſtquam præuidit & permiſit peccata, ergo nullum actum prouidentiæ habuit in hoc ſigno.

Nolo dicere, Deum habuiſſe actum poſitiuum eliciendi aliquos ad gloriam & excludendi aliquos ab illa, quia ſequeretur quòd ſicut intentio dandi gloriam vt coronam iuſtitiæ, virtute includit voluntatem dandi bona merita, & ideo ex vi illius neceſſe eſt vt Deus illa det & procuret, ita voluntas efficax excludendi à regno, virtute includeret voluntatem dandi, & pro-

Digitized by Google

curandi mala merita, quæ neceſſaria ſunt vt illa excluſio fiat ex vindicatiua iuſtitia, quod à diuina voluntate alienum eſt. Quem errorem ſequuntur Caluinus & Beza. Sed dico Deum habere actum poſitiuum voluntarium permittendi culpam & illam perpetuo puniendi. Vnde iſtius permiſſionis qua Deus permittit vt homo cadat in primum peccatum (dico in primum peccatum, quia permiſſionis qua Deus permittit vt homo perſiſtat in extremo peccato, poteſt dari cauſa ex parte hominum antecedens peccatum, ita vt priora peccata ſemper ſint cauſa permiſſionis cadendi in poſteriora peccata, vt volunt Thomiſtæ, & eſt comunis omnium Theologorum ſententia) non poteſt aſſignari pro cauſa aliquid hominis peccatum à Deo præuiſum.

Vt refert Suarez prima parte de prædeſtinatione.

Dico ſecundò reprobationem de qua loquuntur Theologi ſæpe ſæpius nil aliud eſſe quàm voluntatem permittendi aliquem cadere in culpam, & inferendi damnationis pœnā pro culpa. Vnde reprobatio hæc duo ſimul includit

Et hinc videbis differentiam prædeſtinationis,& reprobationis,quòd prædeſtinatio continet gratiam, & gloriam, tanquam cauſas: Reprobatio autem neque culpæ præſentis, neque pœnæ æternæ eſt cauſa, ſed tantum derelictionis à Deo,& ratio huius eſt, quia Deus non ordinat permiſſionem ad culpam, & peccatum, ſed ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ. Hinc benè aiebat Diuus Thomas lib. de prædeſtinatione cap. *6.* quod peccatum licet ſit contra voluntatem Dei, eſt tamen ſecundum voluntatem ipſius.

Iam vides Suares abſque ratione aliqua, ſcribentem, in noſtra ſententia non habere locum illam quæſtionem Theologicam, quare ſcilicet Deus creat hominem quem præſcit eſſe damnandum, quæ non facit ſenſum quem aduerſarij intendunt quare ſcilicet Deus creat hominem quem ſcientia cõditionali præſcit in tali & in tali ordine creatum fore damnandum, ſed hunc quare Deus creat homines quos permittit mori in peccatis. Ad quam reſpondet ſanctus Thomas ex Diuo Auguſt. 3. de trinitate non niſi Dei voluntas cauſa

prima eſt ſanitatis & ægritudinis, præmiorum atque pœnarum.

Ad argumenta igitur Molinæ reſpondemus negando illam eſſe naturam reprobationis vt à Theologis ſumitur in hoc propoſito, ſcilicet quòd ſit iudicium æternum quo creatura rationalis à Deo indigna iudicatur vita æterna. Vnde non nego Molinæ quòd ſi nominis Etymologiam ſequamur, reprobationem dici propriè per reſpectum ad obiectum malum, & indignum ſicut approbatio &c. Sed volo quòd à Theologis tranſlatum eſt nomen ad ſignificandum actum diuinæ prouidentiæ, ſeu voluntatis circa illos homines qui propter peccata ſua condamnandi ſunt, & reprobandi. Et quia circa huiuſmodi condemnandos non ſolùm eſt diuina præſcientia, ſed etiam prouidentia, & voluntas permittendi peccatum ipſorum; Talis actus nomen accipit non à permiſſione, quæ bona eſt, & ordinata ad bonum finem; ſed ab vltimo effectu huius prouidentiæ & voluntatis, qui eſt damnatio propter culpam, propter quam propriè odio habentur, & reprobatione digni ſunt. Itaque illam per-

Quid ſit reprobatio de qua loquuntur Theologi.

Bannes 1. parte q. 23. art. 3. dub. 1.

miſſionem vocamus reprobationem, quia ea omnia quæ ſequuntur illam permiſſionem non tanquam ex cauſa mala ſunt.

Ad ſecundum reſpondetur ſicut reſponſum eſt ad primum. nullomodo eſſe durum, & à ratione alienum talem permiſſionem appellari reprobationem, cùm hoc nomen fuerit illi impoſitum ab antiquis ſcholaſticis habita ratione ad malum culpæ quod ex illa ſequitur neceſſitate conſequentiæ.

Illæ autem omnes auctoritates ſcilicet Pauli ad Hebræos 6. terra ſæpe venientem ſuper ſe bibēs imbrem & generans herbam oportunam illis, à quibus colitur accipit benedictionem à Deo, proferens autem ſpinas ac tribulos reproba eſt &c. Et illud Corinth. 9. ſic caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo ne forte cùm aliis prædicauerim, ipſe reprobus efficiar, loquuntur de reprobatione vt opponitur approbationi, non autem de reprobatione in eo ſenſu quo ipſam accipiunt Theologi.

Et Suares prima parte de effectibus reprobationis cap. 7. ſic diſputat cum Molina; quia permiſſio illa prima pec-

Digitized by Google

cati humanæ naturæ fuit communis reprobis & prædeſtinatis, ſicut etiam peccatum illud ex æquo omnibus nocuit, ergo non potuit permiſſio illa eſſe effectus reprobationis. Reſpondetur hoc argumentum non contra nos agere, quia non quamcunque permiſſionem dicimus eſſe reprobationis effectum; nam etiam prædeſtinatos permittit Deus labi ſæpè ſæpius in peccata actualia, non inquam ſermo eſt de reprobatione ſecundum præſentem iuſtitiam, ſed tantum de illa permiſſione æterna qua Deus vult permittere aliquem mori in peccato.

Et miror quomodo Molina potuit ſibi perſuadere hanc eſſe Diui Thomæ mentem, cùm Diuus Thomas in præfato articulo in reſponſione ad ſecundum ſic ait. Ad ſecundum dicendum quod aliter ſe habet reprobatio in cauſando, quàm prædeſtinatio. Nam prædeſtinatio eſt cauſa, & eius quod expectatur in futura vita à prædeſtinatis ſcilicet gloriæ, & eius quod percipitur in præſenti ſcilicet gratiæ. Reprobatio verò non eſt cauſa eius quod eſt in præſenti ſcilicet culpæ, ſed eſt cauſa de-

relictionis à Deo: eſt tamen cauſa eius quod redditur in futuro ſcilicet pœnæ æternæ. Hæc ille.

In quo differat prædeſtinatio à reprobatione.

Pro certiſſimo igitur ſtatuendum eſt primo, permiſſionẽ eſſe effectum reprobationis contra Molinã, & conſequenter reprobationem eſſe ex mera voluntate Dei nullis demeritis præuiſis. Secundò, hanc permiſſionem eſſe actum poſitiuum, & affirmatiuum contra Suares, ita vt nullo præuiſo peccato, voluit Deus aliquos permittere vt in peccatum labantur, & ſic falſa ſunt ea quæ docet Molina, prædeſtinationi nõ opponi reprobationem, ſed hoc (non prædeſtinationem) ſeu non prædeſtinatum eſſe, quia ſequeretur in illo primo ſigno Deum non habuiſſe voluntatem dandi reprobis gloriam, nec etiam voluiſſe illos priuare gloria, falſúmque eſſe quod docet Suares lib. 5. de prædeſtinatione cap. 3. quando ait, reprobationis terminus eſt aliquod malum hominis, qui reprobatur, inter alia (ait) in hoc diſtinguitur reprobatio à prædeſtinatione quòd illa in bonum, hæc in malum terminatur: nam ſic & prædeſtinatio propriè ſumpta ſolùm eſt ad ſupernaturalẽ bonum,

Prædeſtinatio terminatur in bonũ, reprobatio autem in malum.

bonum, ita reprobatio dicitur in ordine ad malum illi oppoſitum. Hoc inquam falſiſſimum eſt; quia permiſſio peccati eſt effectus reprobationis, quæ neceſſario habet rationem optimi ſcilicet vt oſtendantur & manifeſtentur theſauri ſcientiæ, & ſapientiæ Dei. Vnde maximè eſt aduertendum finem Dei permittentis peccata non eſſe punire homines, quia non lætatur in morte peccatorum, ſed ad oſtenſionem diuinæ iuſtitiæ in punitionem ſcelerum.

Reprobatio habet rationem optimi.

Sed dices, reprobatio hominum non eſt opus miſericordiæ diuinæ, ſed iuſtitiæ: ergo Deus non reprobat niſi propter peccata præuiſa. Confirmatur, quia reprobatio dicitur odium Dei Roman. 9. Iacob dilexi, Eſau autem odio habui. Et dauidis, iniquos odio habui, ſed odiũ Dei non eſt niſi circa peccatum, & peccatorem, ergo ſicut odium Dei præſupponit peccatum prȩſcitum: ita etiam reprobatio. Ad hoc reſpondetur reprobationem eſſe quidem actum iuſtitiæ non formaliter, ſed tantũ ordinatũ ad oſtenſionẽ eius; vnde D. Thomas ait non eſſe neceſſarium quòd omne opus Dei aut

Reprobatio non eſt effectus iuſtitiæ.

Digitized by Google

eius actio ſit formaliter actio iuſtitię vel miſericordiæ, ſed ſatis eſt quòd ſit aliquis effectus diuinæ prouidētiæ ordinatus ad oſtenſionem iuſtitiæ; hinc falſum eſt quod docet Suares de effectibus reprobationis cap.7. vbi ait reprobationē totā pertinere ad iuſtitiā vindicatiuam quæ ſupponit culpā in homine. Ad confirmationem reſpondetur odium Dei dupliciter poſſe dici & conſiderari, vno modo negatiuè, hoc eſt, quatenus Deus non dilexit aliquos in vitam æternam, volens per actum poſitiuum ſuæ voluntatis permittere eos labi in peccatum, & hoc modo ante præſcitum peccatū poteſt intelligi Deus odio habere quoſdā. Secūdo modo conſideratur odium poſitiuè tanquam actus Dei reſpuentis & confutantis aliquod malum, & ſic non intelligitur Deus odio habere aliquos. Quando vero diciturDeū iniquos odio habere, non eſt ſenſus quòd iam videat illos iniquos in actu, ſed quia in illa permiſſione cognoſcit illos infalibiliter futuros tales. Et hæc eſt doctrina D. Thomæ art.3. ad primū vbi ſic ait. In quantū igitur quibuſdam non vult hoc bonum (permiſſiuè ſup. & poſitiuè) quod eſt vi-

Quid ſit Deū odio habere peccatores

ta æterna, dicitur eos habere odio vel reprobare.

Quod autem reprobatio non ſit ex præuiſo peccato neque actuali, neque originali, & ſi ſatis probatum fuerit ex hoc, quod ipſam permiſſionem eſſe effectũ reprobationis probabamus, declaratur tamẽ in particulari ſic. Omnis permiſſio peccati, in quo quis moritur, ſiue originale ſit, ſiue actuale, effectus eſt reprobationis: ergo ex parte reprobati nõ datur cauſa reprobationis ipſũ peccatũ ſiue originale, ſiue actuale. Conſequens patet, quia quod debet eſſe cauſa & ratio reprobationis, neceſſe eſt vt ſit cauſa totius effectus reprobationis: ſed peccatũ originale, ſiue actuale nõ poteſt eſſe cauſa permiſſionis eiuſdẽ peccati, alioquin ipſamet permiſſio peccati, eſſet pœna eiuſdẽ peccati, verbi gratia, diuina permiſſio qua Deus permiſit Adã peccare, qui erat caput totius naturæ, & in illo totã naturam ruere, eſſet pœna eiuſdẽ peccati, quod eſt incredibile, non enim punit Deus peccatum futurum, ſed præteritum. Antecedens probatur. Nam omnis permiſſio peccati eſt effectus diuinæ prouidentiæ, vt oſtendimus etiam

Omne peccatum eſt effectus reprobationis

Digitized by Google

ex Auguſtino in art.3.huius quæſtionis: ergo cum permiſſio peccati ſit effectus diuinæ prouidentiæ,quatenus Deus ordinat permiſſionem ad finem ſupernaturalem,ſcilicet ad oſtenſionem iuſtitiæ & miſericordiæ ſuæ;neceſſe eſt vt reſpectu quorumdam,ipſa permiſſio peccati ſit effectus reprobationis,ſcilicet reſpectu illorũ, qui permittuntur cadere, & derelinquũtur in peccato vſque in finẽ.

Defẽditur Auguſtinus & cũ D. Thoma reconciliatur.

Quia tamen auctoritas Patris noſtri Auguſtini grauiſsima eſt,nõ audeo, neque intendo ipſam reiicere,ſed cum veritate defendere. Hoc dico propter aliquos iuniores Thomiſtas,qui ipſum volentes deffendere,vt æquum eſt,ad illud argumentum,quod contra D. Auguſtinum poterat fieri, nempe quia originale peccatum remittitur per baptiſmum in multis fidelibus, vt verè deletur, qui nihilominùs reprobantur à Deo(quotquot enim chriſticolæ ſunt reprobati, remiſſum eſſet eis peccatum originale: ergo Deus non reprobat illos propter peccatum originale hoc argumento conuicti dicunt ait, hoc argumento ruit Diui Auguſtini opinio de reprobatione malorum) alij reſpondent pecca-

tum originale deletur in chriſticolis per baptiſmum quantum ad maculam culpæ,& reatum pœnæ,& idcirco hi reprobi propter originale peccatum non puniuntur de facto pœna æterna. Sed non quantum ad effectum, qui ex peccato originali eſt in nobis, & ad malum prouocat nos, ex quo inferunt quòd peccatum illud originale eſt cauſa permiſsionis cadendi in aliud peccatum, pro quo reprobus damnatus eſt. Alios dicendi modos quamplures quibus hanc ſententiam defendunt Auguſtini ſi vis videre,adeas auctores & præcipuè Banneſium, qui fuſiſsimè tractat hoc negotium,& ſi ipſum non laudem in eo quòd non bene, vt oportet, loquatur de Diuo Auguſtino.

Dicendum igitur puto Diuum Auguſtinum nunquam exiſtimaſſe, neque docuiſſe pueros baptizatos, qui nõ peruenerunt ad vſum rationis,& in infantia functi ſunt, eſſe reprobatos, vel poſſe à Deo reprobari, quinimo omnes credimus, & ipſe nobiſcum docet, tales omnes conſequi gloriam. Vnde generaliter puto dicendum quod quandocunque Diuus Auguſtinus ait propter

peccatum originale reprobari aliquos, loquitur ſolum de illis, quorum corpus non tetigit aqua nec animam lauauit gratia baptiſmi. Sed dices, volo rem ita ſe habere: igitur reprobatio fit ex præuiſo peccato, quod eſt contra Diuum Thomã & id quod ſupra diximus. Reſpondeo Diuum Auguſtinum non locutum fuiſſe de reprobatione ſicut loquendum eſt, & ſicut loquitur Diuus Thomas, ſed loquitur de reprobatione eo modo, quo ipſam accipiebant hæretici, vt videre eſt apud Suares cap. 3. qui volebant reprobationem nihil aliud eſſe quàm decretum & voluntatem reiiciendi aliquos à gloria, & puniendi vita æterna, quam dicebant dependere à ſimplici Dei voluntate nullis præuiſis demeritis. Diuus igitur Auguſtinus & ſi ſciebat hoc non eſſe effectum primum reprobationis, ſed illam permiſſionem vt declaratum eſt.) Reſpondet equidem ſi talem creditis eſſe reprobationem, dicam ipſam non eſſe ex mera voluntate Dei. Sed ex præuiſis demeritis, ſcilicet ex peccato originali, vt comprehendat tũ pueros, tum adultos; nec vnquam negauit Diuus Augu-

D. Auguſtinus loquitur de reprobatione, ſecundũ ſenſum aduerſariorũ cum quibus diſputabat.

Digitized by Google

ſtinus peccata actualia præuiſa poſſe eſſe rationem, & cauſam meritoriam reprobationis: ſed peccatum originale eſſe cauſam ſufficiẽtiſſimam, propter quam Deus velit aliquem mittere in gehennam ignis. Et hoc etiam docet Diuus Thomas. Satis.

Mens Auguſtini nõ eſt contraria D. Thomæ.

Dubium ſecundum.

ALterum eſt non diſſimulandum, de ipſis paruulis, qui abſq; baptiſmo moriuntur, & occaſione huius videbimus, quæ nam ſit voluntas Dei circa hominum ſalutes: Conuenimus enim cum aduerſariis Deum habuiſſe non ſolùm voluntatem ſaluandi omnes homines ante præuiſum peccatum Adæ, ſed etiam poſt illud. Quod Deus habuerit voluntatem ſaluandi omnes homines ante præuiſum lapſum, ſatis conſtat: quia non propter aliud creauit Deus hominem, quam propter ſupernaturalem finem: igitur ſequitur apertè Deum, quantum in ipſo eſt, voluiſſe illi dare regna cœleſtia, quòd autem poſt lapſum voluerit dare illi

Deus habuit volũtatem ſaluandi omnes homines in quocunque ſtatu.

Digitized by Google

talem finem, patet ex illo Pauli : Deum velle omnes homines ſaluos fieri, nam poſt præuiſum originale peccatum, ordinauit Chriſtum in redemptionem omnium hominum, vt docet Suares prima parte de ſupernaturali prouidentia lib. 4. Et Molina prima parte q. 19. art. 6. diſp. prima Cumel. prima parte q. 23. art. 3. dub. 4.

Fonſeca male gloſat D. Paulum

Hinc venit reprehendendus Fonſeca, 6. q. 5. ſec. 4. vbi ait, verba Pauli intelligenda eſſe de ſolis adultis: Et ratio eſt (ait) cùm Paulus docet velle Deum omnes homines ſaluos fieri, oportet ſic gloſare. Si ipſi velint, neque obicem ponant. Immò & magis in hoc, quòd ait Deum non habuiſſe prouidentiam, neque voluntatem ſaluandi pueros, qui moriuntur ſine baptiſmo. Vnde ſic loquitur. Quocirca, cùm initio pro omnibus paruulis, & adultis, datum eſſet primis parentibus, generale remedium originalis iuſtitiæ, ad omnium ſalutem, quod donum, ſi ipſi conſeruaſſent, nemo eſſet morti obnoxius, ſed ex hac vita ad ſupernaturalem beatitudinem tranſiſſent, eo amiſſo, ſoli induſtriæ particularium

parentum, aliorumque curatorum, relicta eſt paruulorum ſalutis procuratio. Hinc fit vt aliquando paruuli ſalutem non aſſequantur, quòd vel parentum incuria in vteris maternis obeant, vel parentes illis iam natis, ſalutis remedia ante eorum obitũ non conquirant. Aliquando verò nulla parentum culpa, ſed ſola cauſarum naturaliũ diſpoſitione, abſque ſalutis remedio, diem claudãt. Quod poſterius, cùm accidit, non deffectui diuinæ prouidentię, ſed inobedientiæ primorum parentum, aſcribenda eſt cauſa, qui pro ſe, totaque poſteritate, donum illud incorruptionis non ſeruarunt, quod ſi ſeruaſſent, omnes paruuli cum adoleuiſſent, de procuranda cæleſti beatitudine ſibi cõſulere poſſent. Hæc ille. Volui omnia eius verba afferre, vt videas quàm rigoroſa ſit, huius opinio, qui credit Deum nullam habuiſſe voluntatem poſt lapſum Adæ, ſaluandi pueros: ſed quòd tota eorum ſalus, poſuit in parentum manibus: nam & ſi certus ſim iſtos paruulos omni auxilio ſufficienti deſtitutos, nullomodo poſſe ſaluari, nihilominus ſi poſſent, parentibus, & non Deo,

Cauſa quare pueri moriantur abſque baptiſmo ſolis parentibus eſt aſcribẽda.

gratias agerent. Immò ſequeretur neq; Chriſtum veniſſe, tanquam redemptorem illorum, quod falſiſſimum eſt. Cõuenimus igitur cum aduerſariis, etiam poſt peccatum Adæ Deum habuiſſe voluntatem ſaluandi. Immò & de facto dediſſe remedia ſufficientia, quibus ſaluari poſſent, ſi voluiſſent omnes homines.

Deus vult ſalutem omnium, voluntate antecedẽti.

Conuenimus etiam hanc voluntatem appellari antecedentem, ſed quidnam ſignificet, ly voluntas antecedens, non omnes æquè ſentimus: Nam aduerſarij volunt hanc voluntatem antecedentem nihil aliud eſſe, quàm volitionem quamdam, qua Deus aliquid vult, ſed dependenter à libero arbitrio. Et ideo hanc voluntatem appellant voluntatem conditionatam, ſeu velleitatem, quæ formaliter eſt in Deo: Nam Molina vbi ſupra, ſic loquitur. Ex his tamẽ conſtat, in Deo optimo Maximo conſtituẽdam eſſe volitionem, tum bonitate ac pietate ipſius digniſſimam, tum libero arbitrio creato, probationique, qua ad præmij palmam nos perducere conſtituebat, maximè conſentaneam, qua videlicet homines omnes, & Angelos, quos condere ſtatuebat, ex æternitate

voluerit ſaluos fieri, ſempiternamque vitam, mediaque ad eum finem neceſſaria, eis conferre, ſub conditione tamen, ſi per ipſos, aut primum parentem, non ſtaret.

Non omnis voluntas abſoluta eſt voluntas conſequens.

Volunt inſuper, non omnem voluntatem abſolutam eſſe voluntatem conſequentem, quia voluntas abſoluta eſt reſpectu omniũ, quæ à Deo ſunt volita ſimpliciter, voluntas autem cõſequens, eſt eorum, quæ à libero arbitrio emanant. Et dicitur conſequens, quia de cõtrario eius, quod per talem voluntatem eſt volitum, reperitur velleitas in Deo. Et ideo voluntas conſequens eſt illa, qua Deus vult aliquos punire, vel damnare. Vnde voluntas conſequens ſemper eſt malorum, quæ nobis accidunt.

Voluntas conſequens oritur ex factis noſtris.

Vnde Fonſeca vt ſupra ait. Duplex eſt voluntas in Deo, vna antecedens, nempe qua ille non quaſi à nobis impulſus, ſed veluti à bonitate ſua permotus, omnia nobis fauſta cupit, atque hac voluntate velle Deum omnes homines ſaluos facere, cæleſtique beatitudine donare, illa tamen eadem lege, ſi ipſi ſalui eſſe velint, nec propriæ ſaluti, aſſequendæque cæleſti beatitudini, obi-

Digitized by Google

cem ponant. Altera verò conſequens, hoc eſt, ex factorum noſtrorum occaſione orta, non tamen bonorum, quòd illa ad antecedentem pertinet, ſed malorum, cuiuſmodi ſunt labores, ſempiterna damnatio &c.

Molina etiam ſic ait. Iuxta hæc ergo voluntas conſequens eſt, qua aliquid ex adiunctione aliquarum circunſtantiarum eſt abſolutè volitum, manente velleitate de oppoſito, quod proinde, præciſis talibus circunſtantiis ſecundum ſe ſpectatum, eſt nolitum: Id verò quod ſpectatum ſine eiuſmodi circunſtantijs, eſt ſecundum ſe volitum, voluntate antecedente dicitur volitum. Vt proiectio mercium in mare ad euadendum vitæ periculum effecta, dicitur volita voluntate conſequente, quia ita eſt abſolutè volita ex circumſtantia ſuperuenientis periculi, vt coniunctam habeat velleitatem, eaſdem merces ſeruandi ſi id pateretur tempeſtas, quæ planè velleitas ex volitione conſeruationis mercium ſecundum ſe ſpectatarum, ortum habet.

Dices, voluntas conditionata non eſt vera voluntas de præſenti, ſed tunc futura eſſet quando conditio ponere-

Digitized by Google

tur, vt dum quis dicit, ſi Petrus veniet, hoc facerem, tunc quidē nihil facit, ſed poſita conditione, ponenda eſſet actio. Ad hoc Suares lib. 4. cap. 2. qui credit talem voluntatem eſſe per modum proſecutionis, & quantum eſt ex ſe, inducere operationem, & non ſolum ſimplicem complacentiam, Reſpondet illum actum eſſe de præſenti, & veram voluntatem, quia conditio non ponitur ex parte ſubiecti, quo modo ſolet ſuſpēdere actum, ſed ponitur ex parte obiecti ad limitandum illud; Nam licet Deus velit nunc tale obiectum eſſe, non tamen vult omni modo, nec ſine vlla limitatione, ſed ſolum quantum exigere poteſt ſufficiens prouidentia eiuſdem Dei.

Voluntas antecedens quantum eſt ex parte ſua dicit effectus proſecutionem.

Et ſi adhuc amplius perſiſtes; hoc habere locum in adultis, in paruulis autem, qui in vteris maternis pereunt ante baptiſmum, nequaquam nam neque per pueros, neque per parentes, nec miniſtros Eccleſiæ, qui percuperent eis ſubuenire, & remedium baptiſmi ad ſalutem adhibere, nec tamen poſſunt: non ergo Deus vult omnes homines vniuerſim ſaluos fieri, & iam ſub con-

Quomodo Deus habeat vo-

Digitized by Google

luntatem ſaluandi pueros moriuntur in vteris.

ditione illa, ſi per ipſos, aut parentes, aut per miniſtros Eccleſiæ non ſtaret. Hoc argumentum coegit Fonſecam negare Deum habere hanc voluntatem, ſaluãdi eos poſt originale peccatum. Molina autem aliter reſpondet, aiens Deum ſpectata prima conditione generis humani, velle omnes homines nemine excepto, ſaluos fieri, ſi per ipſos, vel primum parentem, cui primò dona gratuita toti ſoboli per generationem communicanda, collata ſunt, non ſtet. Poſita verò ruina generis humani, & beneficio redemptionis, velle etiam omnes ſaluos fieri, ſeruata tamen conſtitutione curſúque cauſarum vniuerſi, dependentérque à libero arbitrio hominum, vt explicatum eſt. Hæc ille.

Molina num. 302.

Hinc inferunt prædeſtinationem Dei æternam paruulorum, perfici quidem, & compleri per æternum liberum actũ voluntatis diuinæ (ſupple antecedentis) quo Deus ex ſua parte conferre ſtatuit eis media, quibus præuidebat, illos, modis explicatis à libero aliorum arbitrio peruenturos in vitam æternam, cùm pro aliorum libertate poſſent nec naſci, nec in eam peruenire: quia, quod Deus

Digitized by Google

paruulos prædeſtinatos in ea parte ordinis rerum, & circunſtantiarum, collocare voluerit, in qua præuidebat illos, ex vteris maternis, pro libertate arbitrij ſuorum progenitorum; tandem naſcituros, finituroſque vitam, ante vſum rationis, & aliena inſuper libertate futurum eſſe, vt remedium contra originis peccatum illis applicaretur, nulla alia fuit cauſa, quàm diuina voluntas, & proportionaliter dicendum eſt de eorum reprobatione. Et quod peius eſt, aiunt hanc eſſe mentem diui Thomæ, Damaſceni, & omnium.

Puerorum reprobatio eſt à libertate parentum.

Vt autem videamus, num hæc ſit mens iſtorum ſanctorum; Aduerte Diuum Thomam nunquam dicere Deum velle nobis bona ſolùm voluntate conditionali; Sed ex diuo Thoma, hæc verba habentur. Similiter Deus antecedẽter vult, omnem hominem ſaluari, ſed conſequenter vult, quoſdam damnari, ſecundum exigentiam ſuæ iuſtitiæ. Hæc ille. Et Damaſcenus ſic ait, vtramque voluntatem à Deo proficiſci, priorem quidem, quia bonus eſt, poſteriorem verò, quia iuſtus eſt, prioremque ex bonitate, miſericordia, ac clementia diuina oriri,

Prior voluntas oritur à Deo inquantum

Digitized by Google

eſt bonus, Poſterior inquantum iuſtus.

poſterioris verò hominis cauſam præbere. Vnde ſolùm habetur, quòd Deus ſemper vult nobis pœnas, volũtate conſequenti, non autem quòd ſola mala, & non bona, & quod hæc fuerit vera mẽs diui Thomæ, Probo ſic. Quia diuus Thomas in eodem articulo, ſic ait. Neque tamen id, quòd antecedenter volumus, ſimpliciter volumus, ſed ſecũdùm quid; quia voluntas comparatur ad res, ſecundùm quòd in ſeipſis ſunt; in ipſis autem ſunt in particulari: Vnde ſimpliciter volumus aliquid, ſecundum quod volumus illud, conſideratis omnibus circunſtantiis particularibus, quod eſt conſequenter velle. Ex his, duo infero. Primùm, Diuum Thomam confundere voluntatem conſequentem, cum voluntate abſoluta, Nam vbi ſupra dixit, ſimpliciter volumus, inferius ait, conſequenter velle. Secundò, infero, Deum tum bonum, tum malum aliquod velle, voluntate conſequenti: Nam ait, ſimpliciter aliquid volumus, cùm illud volumus, conſideratis omnibus circumſtantiis. Vnde loquitur vniuerſim, tum de bono, tum de malo, volens innuere, voluntate abſoluta, illud volumus, quod

Digitized by Google

quod conſideratis omnibus circunſtantiis, illud volumus. Et ſi hoc transferas in Deum,& ſubſumas ſic: ſed Deus vult aliquem effectum bonum, conſideratis omnibus circumſtantiis in particulari; quia Deus non ſolùm aliquando mouet voluntatem hominis ad vniuerſale obiectum voluntatis, quod eſt bonum, ſed interdum ſpecialiter,& in particulari, Deus mouet aliquos, ad aliquid determinatè volendum, vt docet idem diuus Thomas 1. 2. q. 9. art. 6. ad tertium ergo ſecundùm diuum Thomam, Deus vult aliquando aliquod bonum, non ſolum voluntate antecedenti, quam in hoc articulo appellat velleitatem: ſed etiam voluntate conſequenti, quam in alio loco, appellat voluntatem determinatam. Et miror, quomodo iſti viri poſſint ſibi hoc perſuadere, cùm diuus Thomas in tali reſponſione ad primum, ita loquatur. Et ſic patet, quòd quicquid Deus ſimpliciter vult, fit: licet illud, quod antecedenter vult, nõ fiat, quæ verba opponuntur directè opinioni aduerſariorum, qui aiunt. Eſt autem antecedens non efficax voluntas, quæ etiam aliquãdo efficax poteſt eſſe, ſed antecedens, *Vaſques 1. q. 2. 19. art. 10. num. 2.*

Digitized by Google

quę ex Deo ſolo ortum habuit, nulla ex nobis capta occaſione, Conſequens vero, quæ ex nobis occaſionem habuerit.

Huic diſcurſui conatur ſatisfacere Suares in opuſ. lib. 2. cap. 7. vbi ſic ait, vnde licet Diuus Thomas doceat volũtatem antecedentem Dei non ſemper impleri quia id reuera neceſſe non eſt, ſed ex vi talis voluntatis, & prouidentiæ quæ ex illa oritur vtrumque euenire poteſt; ſed hæc explicatio directè opponitur intentioni diui Thomæ qui ait quòd quicquid Deus ſimpliciter vult, fit, licet illud quod antecedenter vult, non fiat, vult dicere quod licet eſt neceſſarium fieri id quod Deus vult voluntate conſequenti, Immo & neceſſarium eſt omne id quod eſt volitum, voluntate conſequenti eſſe, ita neceſſarium eſt, volitum voluntate antecedenti non eſſe: & cauſa huius neceſſitatis, eſt, quia voluntate conſequenti Deus vult aliquid in ſeipſo, ſed voluntate antecedenti vult aliquid non ſimpliciter, Ideo eſt neceſſarium vt non ſit. Nunquam igitur diuus Thomas dixit voluntatem antecedentem Dei, non ſemper impleri vt falſo refert Suares quia Diuus Thomas locu-

tis eſt ſimpliciter: voluntatem antecedentem Dei non impleri. Vnde hęc ſunt eius verba, licet illud quod antecedenter vult nõ fiat. Appoſuit igitur Suares ly ſemper, propria arte vt trahat ſecum Diuum Thomam: equidem ſi illud ſemper appoſuiſſet diuus Thomas, valeret hęc conſequentia, voluntas antecedens non ſemper impletur, ergo aliquando impletur.

Vlterius, Suares vel ſe retractauit, vel ſibi contradicit: nam in opuſculis, ait, illam eſſe opinionem diui Thomæ, & Damaſceni. & 1. p. lib. 3. de actibus poſitiuis, cap. 8. ait, diuum Thomam tenere voluntatem antecedentem, eſſe ſemper inefficacem, & in opuſ. ait, diuũ Thomã tenere voluntatẽ antecedentem, aliquãdo eſſe efficacẽ. In opuſculis ait, diuum Thomã cõuenire cum Damaſceno, ſed prima parte, vbi ſupra, nequaquam. Hęc igitur ſunt verba Suares: nam iuxta Damaſcenum, volũtas conſequens ſemper eſt efficax, & in hoc cõuenit cũ voluntate conſequẽte, à diuo Thoma explicata; quia vtraque eſt voluntatis affectus, in particulari omnibus conſideratis, vt aiunt; voluntas autem antecedens, iuxta

Voluntas antecedens duplex, efficax & inefficax.

Suares vel mutauit ſententiam vel ſibi cõtradicit.

Damaſcenū, poteſt eſſe efficax, & ineffi-cax: quia vtroq; modo poteſt velle Deus aliquod bonum ex ſe; nam & electis, & reprobis, voluit ex ſe, perſeuerantiam, & ſalutem æternam, atque adeò vtriſq; antecedenter: & tamen electis efficaciter, alijs nō, ſed tantū ſecūdùm quid: & hanc volūtatē vt ſic.[a] Et num. 9. omiſſa, & reiecta opinione Diui Thomæ, ait. Sub diſtinguenda igitur eſt voluntas antecedēs, in efficacem, & in inefficacem, quæ omnia cōtraria ſunt, his, quæ in opuſculis dixerat; vbi gloriabatur ſe, interpretaſſe diuū Thomā, apponēdo ly ſemper.

a D. Thomas ſemper cenſuit inefficacem.

Quod verò hæc non ſit mens diui Damaſceni, Probatur ſic. Diuus Damaſcenus volens explicare, quomodo Deus velit ſaluare omnes homines, cùm tamen de facto omnes non ſaluet: ait; hoc ideo eſſe, quia Deus vult ſalutē omniū, generali voluntate antecedēti, non autem conſequenti, ac ſi diceret. Ne mireris, ſi Paulus dicat, Deum habere volūtatē ſaluandi omnes homines, cùm multi non ſaluentur: quia hoc non vult voluntate conſequenti. Igitur præſupponebat aliquorū Deū velle ſalutē, volūtate conſequēti. Immò præſupponebat

Digitized by Google

ſolos illos de facto ſaluari, cuius Deus, voluntate conſequenti, voluit ſalutem. Sed quid eſt Deum velle omnium ſalutem, voluntate antecedẽti, ſed nõ abſoluta, & cõſequenti, niſi quòd aliquorum vult, voluntate conſequẽti? Sed quid eſt dicere, Deum habere voluntatẽ antecedentem, circa bona libera: ſed non circa mala, quæ vult voluntate efficaci; niſi quòd Deus velit ſecũdùm quid, habeátque ſolam velleitatem circa bonum, & efficacem voluntatem circa malum? Quod D. Damaſcenus numquam dixiſſet. Neque ſatisfacit Suares, quando ait, hoc non eſſe per reſpectum ad Deũ, ſed per reſpectum ad obiectum, vt ſcilicet relinquatur liberum arbitrium, in ſua voluntate, vt poſſit mereri: nã quodcúnq; dicat; ſemper erit verum dicere, Deum velle bonum conditionaliter.

Et ſe habere, vt mercatorẽ, qui vult, vẽdere merces, qui ex parte ſua quidem ſemper vult vendere, habétq; voluntatẽ, per modũ executionis; ſed, quia hoc dependet ab emptoribus; ideo, ſolemus dicere, mercatorẽ habere voluntatẽ cõditionatã vendẽdi merces: & ſic ſequeretur hanc propoſitionẽ eſſe verã, Deus *Deus ſalutem omniũ vult conditionaliter, ſecundum aduerſarios.*

Digitized by Google

vult hoc eſſe, & nihilominus in ſenſu compoſito, poteſt non eſſe; Immò de facto aliquando nõ erit (vt volũt aduerſarij.) Si dicãt, vult illud eſſe, at non quocunque modo, ſed depẽdenter à libero arbitrio. Cõtra, ergo Deus habet volũtatẽ abſolutam, circa aliquas res vniuerſi, nõ autem circa præcipuas, ſ. liberas actiones hominũ, & Angelorũ, meritorias. Si dicãt, hoc nõ prouenire ex parte prouidentiæ Dei, ſed ex parte liberæ actionis, quæ nõ poteſt ſic prouideri, ſalua eius libertate: Cõtra, ergo Deus non poteſt aliquid abſolutè velle in ſeipſo, & quod liberè ſit à creatura, & ſic volũtas Dei eſſet inefficax, reſpectu alicuius effectus. Scio enim quod effectus diuinæ prouidẽtiæ, nõ ſolùm eſt aliquid euenire, quocũq; modo: ſed aliquid euenire, vel cõtingenter, vel neceſſariò; quia hoc docuit me magiſter meus, & Dei amiciſſimus, 1.p.q.22.art.4.ad primum, vbi ſic ait. Et ideo euenit infalibiliter, & neceſſariò, quòd diuina prouidentia diſponit euenire infalibiliter, & neceſſariò, & euenit cõtingenter, Quod diuinæ prouidẽtię ratio habet, vt cõtingẽter eueniat. Hæc ille: ſed hoc, nõ ideo, quia cauſa de

Contingẽtia & libertas cadit ſub Dei prouidentia.

ſe eſt contingens: ſed quia Deus vult efficaciter, vt eueniat contingenter, Ita vt modus contingentiæ, & neceſſitatis, cadat ſub prouiſione Dei, qui eſt vniuerſalis prouiſor totius entis; Non autem ſub prouiſione aliquorum particularium prouiſorum, vt docet idem Angelicus doctor, in reſponſione ad 3.

Si dicant, illa voluntas conditionalis, aliquãdo eſt efficax; ſi ita hoc intelligãt, quòd efficaciã habeat ab alio (vt ipſi videtur docere quando dicũt, quòd quicquid Deus vult à libero arbitrio, vult illud depẽdenter) falſiſſimũ eſt, vt in quæſtione de auxilijs videbimus. Immò tũc volũtas per accidẽs erit efficax, cùm natura ſua ſit cõditionalis, quia in tali caſu, nõ Deus efficaciter vellet, ſed homo faciet, vt Deus efficaciter velit. Si verò ita intelligant, quòd iſta volũtas antecedẽs, ſeu conditionalis, aliquando, natura ſua, ſit efficax, admittimus totum: ſed dicenda erit conſequens, & non antecedens.

Si dicas, Nonne omne bonum, quod Deus vult creaturæ liberæ, vult illud per dependentiã à libero arbitrio? Nõne hæc propoſitio eſt veriſſima, Deus vult gloriã, iuſtificationem, vocationẽ, gra-

tiã, & cætera dona ſupernaturaliá ei cõferre, ſi ipſe velit? Equidẽ nihil Deus largitur homini, ipſo nolẽte. Cõfirmatur, etiã auctoritate Damaſceni, qui ſic ait. Eorum autem quę in nobis ſunt, ſi bona quidẽ antecedenter vult. Ad hoc reſpõdeo, quòd illa cõditio, ſi, nõ denotat cauſã diuinæ voluntatis, quin potius diuina voluntas operatur in nobis ipſum velle, & perficere: ſed, (ly ſi voluerit &c.) explicat libertatẽ arbitrij, hoc eſt, Deus nõ ſaluat reſiſtẽtes, ſed volentes, quòd autẽ velint, gratia Dei, & voluntas eius facit, vt velint. & in hoc ſenſu intelligitur Damaſcenus, & diuus Ambroſius, ſuper illud Pauli, ad Timotheum 2. vbi ait. Vult omnes homines ſaluos fieri, ſi ipſi voluerint. Ex his patet, quænã fuerit mens diui Thomę, Damaſceni, & aliorum, ſed ratione, idem demonſtro, ſic. Id quòd Deus vult, conſideratis omnibus circũſtantiis in particulari, vult illud volũtate cõſequẽti: ſed Deus vult aliqua bona libera, cõſideratis omnibus circũſtaniis in particulari: ergo illud vult, voluntate conſequenti. Maior cõceditur ab aduerſariis, Et eſt diui Thomę. Minor cõceditur ab omnibus, qui deffendũt prouidẽ-

Bannes. q. 19. & Cumel interpretatione 7.

Deus ſaluat ſolum volentes ſaluari.

tiam in particulari: ergo &c.

Ex his igitur dicendum eſt, quòd voluntas antecedens, eſt voluntas boni abſolutè, hoc eſt, per abſtractionem à particularibus conditionibus, quibus particulare illud bonum circunſtatur. Et idcirco voluntas conſequens, dicitur ſimpliciter voluntas alicuius boni, conſideratis omnibus conditionibus circunſtantibus illud bonum, & ob id, conſequens voluntas, ſimpliciter vocatur voluntas, id autẽ dicitur ſimpliciter volitum, quod, voluntate conſequente, eſt volitum. Vnde illud exemplum Diui Thomæ de iudice iuſtiſſimo, qui vult, ſimpliciter homicidam ſuſpendi; ſed ſecũdum quid vellet eum viuere, ſcilicet in quantum eſt homo non facit pro aduerſariis, immo eſt contra ipſos; nam ideo iudex vult conſequenter mortem homicidæ, quia vult in particulari, & quatenus in ſeipſa eſt, & non ideo quia in ipſo eſt velleitas ad contrarium. Et ſequeretur inde quod Deus id ſolum vellet conſequenter, cuius voluntate antecedenti vult oppoſitum, quod eſt contra Diuum Thomam in de veritate q. 23. art. 2. vbi ait: quod volun-

Cumel q. 29. art. 6. Et Bannes

Differentia inter voluntatẽ antecedentem & cõſequentem.

Id volũtate conſequenti eſt volitum in particulari eſt volitum.

tate antecedenti Deus vult omnes homines ſaluari, non autem voluntate cõſequenti niſi iuxta merita & demerita ipſorum vt refert Aquarius in Capreolum primo diſt. 45. concluſione 2. Volo itaque quod aliqua Deus velit voluntate antecedenti, quæ non vult voluntate conſequenti; ſed nego quod omne volitum voluntate conſequenti, ſit nolitum voluntate antecedenti. Sed ſi licebit, retorqueo exemplum contra aduerſarios, ideo iudex vult mortem homicidæ, quia vult ipſam in ſeipſa; nam ſi per impoſſibile iudex nõ haberet illam velleitatem in contrarium, diceretur ſemper velle mortem homicidæ voluntate conſequenti, & quod hæc ſit mens Diui Thomæ ſatis patet, nam poſtquam probauit velle aliquid conſequenter, nihil aliud eſſe quam illud velle in particulari, & vt in ipſo eſt, ſtatim ſubdidit exemplum de iſto optimo iudice. Sed Deus vult aliquem effectum liberum in particulari, & vt in ſeipſo eſt; ergo Deus vult illud voluntate conſequenti.

Nec inferas voluntatem illam antecedentem eſſe fictam voluntatem, nam

Digitized by Google

non ſine cauſa Deus permittit defficere ab vltimo fine & excludere illos à regno ſuo, ſed cauſa eſt vt oſtendatur iuſtitia vindicatiua Dei in eos, qui ceciderunt, & maior abundantia miſericordiæ in eos qui ſalui fiunt. Hinc aiebat pater Bannes, quod & ſi Deus in communi velit omnium ſalutem voluntate antecedendi; Non vult tamen omnes punire voluntate conſequenti, ſed quoſdam vult punire, quoſdam autem non, ſed ſaluos facere.

Voluntas antecedens eſt vera voluntas.

Bannes q. 19. art. 6. ad tertium.

Immo hoc idem docet Suares in opuſc. lib. 2. cap. 5. vbi ſic loquitur, voluntas Dei prædeterminans, ſeu prædeffiniens tantum eſt in bonis, quæ ex miſericordia confert, aut in malis pœnæ, quæ ex iuſtitia rependit, quia omnes viæ Domini miſericordia & veritas. hæc ille, vbi per voluntatem prædeterminantem intelligit voluntatem conſequentem, quia voluntas antecedens non eſt in malis pœnæ, vt ſatis patet: voluntate igitur conſequenti, & abſoluta vult nobis Deus bona, quæ ex miſericordia confert. Ideo nunquam ipſum potui intelligere, qui libro tertio capite decimo nono

Digitized by Google

ratione prima ſic loqu tur. Dico ergo voluiſſe quidem Deum omnes homines ſaluos facere, voluntate antecedenti; non tamen omnes eadem, vel æquali; nam licet Deus antecedenter voluerit efficaci voluntate ſalutē quorumdam, aliorum vero ſolum ſimplici affectu; nihilominus verum eſt ipſum velle omnium ſalutem voluntate antecedenti.

Deus vult ſalutem omnium ſed non æquali volũtate.

Tria enim inter ſeſe oppugnantia inuenio. Primum quia ſupra aiebat voluntatem prædeffinientem eſſe, aut in bonis, aut in malis; vbi ratione ly in malis, neceſſarium ipſum locutum fuiſſe de voluntate conſequenti puto. Et lib. 2. cap. 7. ſic ait. Quis enim dubitat, Deum ex prouidentia particulari, ordinaſſe Angelos, Luciferum, & ſocios eius, in ſupernaturalem fœlicitatem, quam voluntate præfiniente, nunquam eis voluit. Ecce quomodo, per præfinientem, intelligit conſequentem. In iſtis autem verbis, ait voluntate antecedenti efficaci, videtur enim mihi hæc duo implicare in adiecto antecedenter velle, & efficaciter velle; quia antecedenter velle eſt in communi velle, vt

volunt omnes doctores, & præcipuè Diuus Thomas, qui in illo exemplo de iudice, ait, quod iudex vult voluntate antecedenti vitam homicidæ; in quantum homo eſt; efficaciter autẽ velle, eſt in particulari velle. Igitur nõ eſt poſſibile, Deum eadem voluntate, habere actũ volitionis ſimul, in communi & in particulari. Tertium, quia ait, eadem voluntate, velle efficaciter ſalutem aliquorum, & eadem velle aliquorum, ſimplici affectu: quia ſi vult dicere, quod voluntas antecedens eſt eadem, cum conſequenti in Deo, ab ipſo non diſſentio: ſed ſi velit dicere, vt eius verba redolere videntur, hac voluntate antecedenti, intentius, & propriùs velle ſalutem aliquorum, quàm aliorum, hoc puto falſiſſimum; quia, modo noſtro intelligendi, non poſſumus capere, quomodo eadem voluntate, Deus feratur circa aliquos efficaciter, & circa alios, ſimplici affectu. Profectò illa voluntate antecedenti inefficaci, Deus non ſolùm voluit ſalutem eorum, qui nunquam ſalui fiunt: ſed etiam eorum, qui de facto ſaluantur, quia in illa voluntate, conſiderauit ſa-

Non eſt idem velle aliquid, voluntate antecedenti, & efficaciter.

Digitized by Google

lutem hominum, in quadam commu-nitate, ſub ratione boni, quæ non pote-rat, non eſſe volita à Deo, licet aliquorũ voluit ſalutem in particulari, & in ſeipſa, & ideo ordinauit media efficacia, qui-bus ad illud peruenire poſſint: & ideo dicimus, hoc, Deum velle, voluntate conſequenti. Quapropter, exiſtimo multum inopinabile eſſe, Deum voluiſ-ſe ſalutem eorum, qui de facto ſaluan-tur, vna & eadem voluntate, diuerſi-modè ſe habente.

Ad illud autem, quod de paruulis dicunt, eſſe prædeſtinatos dependen-ter ab occaſionibus, & ab euentibus, er-roneum eſſe puto: nam quòd Deus ve-lit operationes ſupernaturales depen-denter à libero arbitrio habet aliquid apparentiæ, vt ſcilicet homo libero ſuo arbitrio mereatur; vt pote in poteſtate eius erat operari, & nõ operari: At vero quod Deus velit ſalutem infantium, de-pendenter ab occaſione, nullum habet in Patribus fundamentum; ideo tan-quam falſiſſima reiecta hac opinione, dicimus quod quantum eſt ex parte Dei omnes paruuli habent ſufficiens reme-dium contra peccatum, quia quantum

Omnes paruuli ha-bent ſuffi-ciens reme-diũ ſalutis.

ex parte Dei, pro omnibus mortuus eſt Chriſtus,& pro omnibus inſtituit ſacramenta in remedium peccati. Quod vero hic & nunc applicatio talis remedij non ſit poſſibilis, propter has vel illas circunſtantias occurrentes, non eſt imputandum Deo; quia non eſt ex voluntate eius ordinatiua, ſed tantum permiſſiua: Neque tenebatur Deus in particulari prouidere, quod tale remedium de facto applicaretur paruulo, licet ab æterno voluntate conſequenti, & efficaci decreuerit velle aliquibus applicari. Vnde ſicut ab æterno Deus voluit permittere, quod aliqui decederent ſine applicatione baptiſmi, & vt morerentur in vteris maternis, & voluit rurſus permittere alia impedimenta, quibus ſtantibus, non ſunt paruulis applicata remedia, quibus ſaluarentur, vnde hi paruuli reprobati ſunt; ita ab æterno voluit, & præordinauit aliquos non mori in vteris maternis, immò, & ipſis applicari in particulari remedia ſalutis, quibus ſaluarentur; vnde hi paruuli prædeſtinati ſunt. Satis.

Cumel q. 23. art. 3. dub. 4.

Deus aliquorũ paruulorum voluit ſalutem efficaciter, aliquorũ vero non.

CONCLVSIO QVARTA.

Certitudo prædeſtinationis, tum adultorum, tum paruulorum, non eſt ex ſcientia media.

ANtequam ad concluſionem deueniamus excludendi ſunt duo errores, vnus Catarini, qui in libro de prædeſtinatione, ad concilium Tridentinum, & ſi aſſerat, virorum quorumdam prædeſtinationem eſſe infalibilem, ſicut eſt prædeſtinatio virginis, Apoſtolorum &c. & de quibus ſolis exponenda ſunt verba ſcripturæ & patrum, qui aliquando docent, Deum habere ſcientiam certiſſimam,

Error Catarini negantis infalibilitatem prædeſtinationis.

Digitized by Google

ſimam, eorum qui ſunt prædeſtinati, & qui aliquando ſaluabuntur, iuxta illud, venite benedicti patris mei, accipite regnum, paratum vobis, à conſtitutione mundi. Et illud, nolite timere puſillus grex, quoniam complacuit patri veſtro, dare vobis regnum; Tamen generaliter loquendo, ait, quòd illa doctrina, quæ docet, quòd ſoli prædeſtinati certo, & infalibiliter ſaluarentur, reprobos verò certò etiam perituros, eſſe dogma dirum, & execrabile, & manifeſtam hæreſim contra ſcripturam. Sed hæc opinio, eſt contra omnes ſanctos patres, & præcipuè contra Diuum Thomam qui ait, quòd ordo prouidentiæ, eſt infalibilis, ſicut ordo prædeſtinationis eſt certus, & tamen libertas arbitrij non tollitur; quia diuina voluntas, non tollit contingentiam à rebus, licet certiſſima & infalibilis ſit. Et in hoc conuenimus cum aduerſariis, ratúmque tenemus, prædeſtinationem eſſe infalibilem & certiſſimam.

Alter eſt Reuerendiſſimi Caietani, qui prima parte quæſt. 22. art. 4. non potens intelligere, quomodo ordo infalibilis prouidentiæ Dei poſſit cohærere

cum contingentia, & libertate noſtræ voluntatis, ait, euentus omnes prouiſos à Deo, etiam in particulari, quatenus prouiſi ſunt, & prædeſtinati, neque eſſe euitabiles, neque ineuitabiles: ſed aliquid eis, quatenus prouiſi ſunt, conuenire, cui altitudine & eminentia rationis ſuæ, nec euitabilitas, nec ineuitabilitas formaliter conueniat. Etenim Deus (inquit) ex ſua altiori, quam cogitare poſſumus excellentia, ſic rebus euentibus prouidet, vt eſſe prouiſum ab eo, ſequatur aliquid altius quam euitabilitas & ineuitabilitas, & hoc ingeniolo meo ſatis rationabile videtur, vnde Caietanus non negat prædeſtinationem certo, & infalibiliter à Deo cognoſci; nam ſic ait. Nec propterea negandum aliquid eorum, quæ ad diuinam immutabilitatem, certitudinem, & ſimilia ſpectare ſcimus, aut fide tenemus; Vnde in hoc laudatur ab omnibus, & eius humilitas maximè commandatur: ſed reprehenſione dignum inuenio, quod aliquid euitabile, & ineuitabile ex diuina prouidentia ſequi, ſomniauerit; cum difficilius ſit intelligere, vnum effectum conuenire in aliqua

Caietani modeſtia.

Caietanus dignus reprehēſione.

formalitate, quæ ſit neque euitabilis neque ineuitabilis, quam voluntatem Dei aliquid neceſſario velle, & illud contingenter euenire. Et in hoc conuenimus cum aduerſariis. Sed quia tum ipſi, tum etiam & nos modum alium inuenimus, ad conciliandum liberum arbitrium cum diuina prædeſtinatione, nam ipſi credunt hæc optimè conciliari per ſcientiam mediam; Nos autem dicimus hæc bene cohærere, ex efficacia diuinæ voluntatis, ideo quænam eſt verior reconciliatio hoc opus videre eſt. Suares libro primo de eſſentia prædeſtinationis cap. 7. ait quomodo autem hoc (prima efficax præfinitio & prædeterminatio) cohæreat cum vera libertate, & contingentia illiuſmet effectus, reſpectu ſuę proximæ cauſæ, laborant quidam vt explicent, an vero id aſſequantur nunc non tractamus, (quia iam dixerat illud nos non aſſecutos fuiſſe,) Neque etiam an ſatis declarent, quomodo hi, qui tali motione carent, eamque in ſua poteſtate non habent, liberè careant actu, quem ſine tali motione habere non poſſunt.

Aliqui laborant ad reconciliandum arbitrium cum diuina prædeſtinatione.

Nos autem credimus contrarium quia putamus hæc omnia cōciliari cum ſcientia media in qua quidem re, laboramus aliquantulum in explicando modo talis præſcientiæ, illam tamen difficultatem ſuperamus, ex infinitate diuini luminis, ea vero difficultate ſuperata facile libertatem actuum, cum præfinitione & prædeſtinatione comparamus, modúmque illum præſcientiæ ſufficienter, & aptiſſimum eſſe, ad dictam præfinitionem, & prædeſtinationem habendam oſtendimus. Et Molina vbi ſupra, vehementer dolet, quòd nos parui pendamus ſcientiam mediam, qua tam lucidè, cum præſcientia, prouidentia, prædeſtinatione, & reprobatione, libertas eadem, ex capite certitudinis ſcientiæ mediæ, à nobis fuerit reconciliata. Cum tamen ſancti patres, tantoperè in illis conciliandis, laborauerint, ſempérque exactam libertatis arbitrij cum illis quatuor, & cum diuina gratia, reconciliationem, tanquam vnum è difficillimis, exiſtimauerint.

q.24.art.13.diſt.16.memb.2.

Scientia media laude reconciliatur libertas.

Et ex his inferunt, certitudinem prædeſtinationis non eſſe capiendam à diuina voluntate; ſed ex iſta præſcientia.

Digitized by Google

media. Nam Molina, vbi ſupra, memb. 3. ſic ait. Nos verò cenſentes, errorem eſſe in fide, tales conſtituere Dei præfinitiones, & concurſus, qui integrum non relinquunt arbitrio in inſtanti, in quo elicit, actum non malum, illum non elicere, imò & diſſentire, ſi velit; conſequenter dicimus, certitudinem totam diuinæ ſcientiæ, qua actus, tam bonos, quam malos arbitrij creati abſolutè futuros eſſe prænoſcit, non prouenire ex ſolis præfinitionibus, conferendi auxilia, & concurſus: quoniam eis nihil impedientibus, poteſt arbitrium flectere ſe in partem contrariam, ſed prouenire ex ſcientia media, qua ante omnem actum ſuæ voluntatis, cognouit, in quam partem arbitrium, pro ſua libertate, ſe eſſet flexurum ex hipotheſi, quòd ea auxilia, & concurſus, vellet illi conferre, ſciturus contrarium, ſi in partem contrariam, pro eadem libertate arbitrium ſe eſſe flexurum, per eámq; ſcientiam, dicimus Deũ certò cognoſcere futura omnia, &c.

Certitudo prædeſtinationis non oritur à voluntate Dei.

Præfinitiones & prædeterminationes appellant errorem in fide.

Et Suares multis in locis, hoc idem docet, probátque rationibus, ſic. Quia voluntas eſt cæca, & ab intellectu duci-

Prima parte cap. 7.

tur, & ideo non poſſet intellectuale agens per voluntatem ſecurè ſtatuere de tali effectu, abſolutè efficiẽdo, vel tali fine conſequendo, niſi per intellectum priùs infalibili ſcientia, iudicaſſet, tali, vel tali modo, illum finem, vel effectum comparari poſſe, quod adeo verum eſt, vt etiam de his rebus, quas Deus per ſeipſum efficit, non poſſet habere voluntatem abſolutam, illas faciendi, niſi priùs in ſe cognouiſſet potentiam ſufficientem, ad illas faciendas. Quid enim eſt præcognoſcere talia media, eſſe talia, vt per illa, poſſit infalibiliter obtineri talis finis, niſi cognoſcere, quòd ſi talia media ponantur, ille effectus per illa, infalibiliter fiet? Hæc autem eſt ſcientia cõditionata, de qua agimus. Hæc ille. Et num. 21. ſic ait. Eſt tamẽ neceſſaria illa præſcientia, ad diuinam præfinitionem, ex parte ipſius Dei, quia nihil poteſt eſſe volitum, quin ſit præcognitum (vt declaratum eſt) immò nu. 11. ait Caterinum & alios valde allucinatos eſſe in negotio prædeſtinationis, quia nempe non agnouerunt hanc ſciẽtiam mediam; ſed Molina in de concord. quæſt. 23. membro vltimo, ali-

Digitized by Google

quid aliud addit. ait namque Diuum Auguſtinum, & Thomam allucinatos fuiſſe valde, ex eo quod hanc ſcientiam mediam ignorauerint, accipe igitur eius verba.

Credens autem Auguſtinus, cum his quæ de gratia aduerſus hæreſim Pelagianam ex ſcripturis rectiſſimè docuerat; coniunctum eſſe prædeſtinationem Dei æternam non fuiſſe ſecundum merita qualitatemque vſus liberi arbitrij à Deo præuiſi; ſed ſolum ſecundûm Dei beneplacitum, iuxta etiam doctrinam Pauli ad Rom. 9. quæ doctrina plurimos ex fidelibus, præſertim ex his, qui in Gallia morabantur non ſolum indoctos, ſed etiam doctiſſimos viros, atque in Epiſcopali dignitate conſtitutos, mirum in modum turbauit, ne dicam, illius occaſione, ſalutem eorum fuiſſe periclitatam: ne enim huiuſmodi doctrinæ adhærerent (ſupple Diui Auguſtini, iuxta illud Rom. 9.) potius Pelagianæ ex parte aſſentiendum putabant, ſententiam vero Auguſtini ſecutus eſt Diuus Thomas, & poſt eum plerique ſcholaſticorum. Hæc ille. Ecce quomodo

Doctrina Auguſtini turbauit multos qui in Gallia morabãtur.

Digitized by Google

ipſi fatentur noſtram ſententiam eſſe D. Thomæ, & quòd ipſe eam accepit ab Auguſtino, & iſte à Diuo Paulo Rom.9. & ideo bene inferunt noſtram ſententiam ſapere hæreſim. quia ſcilicet Opinio D. Aug. multorum perditionis fuit cauſa.)

Et Paulò inferius ſic ait. Quamuis hi hæretici, qui vel Diuinæ gratiæ vel libertati arbitrij præiudiciū afferre moliti ſunt, ex ſcripturis ſacris, & principiis fidei, efficaciter ſint expugnati: haud tamē ſcio, an explicata penitus, & reddita ratione integra conciliandi libertatē arbitrij cum illis tribus. ſ. prædeſtinatione, prouidētia & gratia, & hæreticis aditus ſit patefactus, quo facilius ad pacē vnitatémq; Eccleſiæ redirent, Et concertationes, quæ ante mille annos abortæ ſunt, quantū par eſt, ſint cōpoſitæ. Hæc illæ. Dic; ergo illorum doctrinam ignorauerunt Patres & ſancti Eccleſiæ.

Nomquam hæreticis eſt patefactus aditus vt ad Eccleſiam redirent.

Et infra, nos pro noſtra tenuitate (tenuitas ingenij Molinæ plus valet quam doctrina omnis doctorum, qui à mille annis rexere Eccleſiam) rationem totam reconciliandi libertatem arbitrij cum Diuina gratia & cætera. bene cum

ſcientia media, & facillimo negotio reconciliamus; quæ ſi data explanataque ſemper fuiſſet, fortè neque Pelagiana hæreſis fuiſſet orta, neque Lutherani tam impudenter arbitrij noſtri libertatem fuiſſent auſi negare, obtendentes cum diuina gratia & C. cohęrere non poſſe. neque ex Auguſtini opinione & concertationibus cum Pelagianis, tot fideles fuiſſent turbati, ad Pelagianoſque defeciſſent, facileque illæ reliquiæ Pelagianorũ in Gallia fuiſſent extinctę. (Sed mirum eſt quod Galli hæretici hodie non conuertantur). Quod quanta Religione, & modeſtia hoc fuerit dictum facilè eſt cuique iudicare; deberet enim potius canere hymnum laudis & gratiæ Auguſtino, & Thomę, quam ignorantiæ. In hoc igitur conſiſtit noſtra controuerſia, quòd illi conciliant infalibilitatem prædeſtinationis, cum falibilitate liberi arbitrij, mediante ſcientia media, à qua & ſumitur certitudo prædeſtinationis. Nos verò hanc conciliamus, per ordinem, ad diuinæ voluntatis efficaciam, ex qua ſumitur prædeſtinationis certitudo. Volunt illi, quòd Deus habeat illam ſciẽtiam, ex aliquo cẽtingẽti, & in-

Si Molina fuiſſet tempore Pelagij & Luteri, nullus fuiſſet error.

determinato; Nos autem, ex aliquo neceſſario, & determinato, quod videndum eſt.

Antequam igitur noſtram ſentētiam oſtendamus, aduerte, quòd omnes aduerſarij non conueniunt in hac certitudine: nam Molina vult, hanc certitudinem totam oriri à ſcientia media, tum in adultis, tum etiam in paruulis, & nullomodo capi ab ipſa voluntate; vnde concluſione 2. ſic ait. Licet adultus ita prædeſtinatus, certò, hoc eſt, abſque vlla Dei deceptione, vitam ęternam conſequetur: certitudo tamen non eſt ex parte mediorum, effectúſque prædeſtinationis, ſed ex parte diuinæ præſcientiæ. Itaque cùm ſecundum ſe ſit incertum, & à libertate proprij arbitrij pendeat; Deus nihilominus altitudine ſui intellectus &c. Et concluſione 3. loquens de paruulis, ait quod paruuli prædeſtinati, vitam æternam conſequantur, non eſt ex certitudine mediorum, effectúſque prædeſtinationis, qui in ſe non eſt certo futurus: ſed ex certitudine diuinæ præſcientiæ, qua Deus altitudine ſui intellectus, quod in ſe eſt incertum, potéſtque non eſſe, cognouit certo fu-

Molina q. 23. art. 5. diſ. 1. memb. 11.

Digitized by Google

turum. Fonſeca autem vult hanc certitudinem non eſſe ratione præſcientiæ ſolum, ſed etiam ratione decreti diuinæ voluntatis: vnde ſic loquitur. Quòd cùm ita ſit, perſpicuum eſt prædeſtinatorum numerum, non ex ſola præſcientia, quæ more intelligendi noſtro, hunc delectum anteceſſit, ſed ex decreto diuinæ voluntatis, quo ſtatuit, quoſnã, & quibus mediis, prouecturus eſſet in eam beatitudinẽ, accepiſſe certitudinẽ. Vt enim ante huiuſmodi decretum, nullus erat prædeſtinatus: (tametſi iam intelligebãtur, quinam futuri eſſent prædeſtinati, ſi abſoluta voluntas prædeſtinandi accederet) ita nec certus prędeſtinatorum numerus. quòd ſi non de præſcientia conditionata, ſed abſoluta, quæ iam determinatam, & abſolutã cognitionẽ, quaſi futuræ voluntatis diuinę ſupponit, ſit ſermo: multò clariùs eſt prædeſtinatorum numerum, non ante cognitionem huius decreti, certũ fuiſſe, cùm prædeſtinatio in eo faciendo, poſita fuerit. Itaque numerus prædeſtinatorum nõ habet certitudinem à ſola diuina præſcientia, tametſi hæc falli nequeat, ſed à decreto diuinæ voluntatis, In 6. cap. 2. q. 5.

Digitized by Google

quòd fruſtrari, irritúmue eſſe non poteſt. Suares autem in opuſ. lib. 2. cap. 7. ſic loquitur. Si autem præſcindamus in prouidentia voluntatem à præſcientia, & contrario, neque ex vi ſolius voluntatis, erit ſemper certò effectus futurus, niſi præſcientiam adiungas, nec ex vi præſcientiæ erit certitudo de effectu futuro abſolute; ſed tantum cõditionalis, niſi adiungas voluntatem ſtatuentem aliquid circa cauſam, ſ. quòd conſtituatur in tali oportunitate, ad operandum, cum omnibus ſufficientibus mediis. Neque in hoc, eſt aliqua difficultas, nec minor perfectio.

Ex his doctoribus magis falſum eſt, id, quod docet Molina, quàm quod Fõſeca, & Suares, quia, Si Deus neſciret certò, aliquem effectum futurum ex vi ſolius altitudinis ſui intellectus; ſequeretur quòd videret numerum prædeſtinatorum, & infalibilitatẽ talis effectus, non dependentem à ſua voluntate. Immò videret prædeſtinatum, & non prædeſtinatum, quod probo ſic. Nullus poteſt à Deo intelligi prædeſtinatus, niſi quem voluit ipſe prędeſtinare: ergo nullo accedente actu voluntatis, non poteſt

certò cognoſci effectus. Tunc vltra. Hac ſcientia media cognoſcitur certò effectus: ergo cognoſcitur certò prædeſtinatus, & ſic cognoſcitur, & non cognoſcitur certò effectus. Si dicat, cognoſcebatur certò effectus, ſi accederet actus voluntatis. Contra, cognoſcere aliquid hoc pacto, eſt cognoſcere illud dependenter à voluntate: ergo à voluntate capitur cognitio, tanquam à cauſa: ergo non totaliter à ſcientia media. Amplius, ſcientiâ mediâ, cognoſcit Deus prædeſtinãdos, ſi in hac, vel illa occaſione ponantur: ergo non poteſt numerus prædeſtinatorum cognoſci in ipſa ſcientia media. Probo conſequentiam euidentiſſimè, Quia illa ſcientia media vidit nõ ſolùm prædeſtinandos, qui verè prædeſtinati ſunt; ſed etiam eos, qui reprobati ſunt, verbi gratia, Illâ ſciẽtiâ, vidit Deus non ſolùm diuum Petrum fore prædeſtinandum, ſi in talibus, & in talibus occaſionibus poneretur: ſed etiam & Iudam, ſi in eiſdem poneretur: ergo illâ ſcientia, non videt Deus determinatè eos, qui verè prædeſtinati ſunt: ergo prædeſtinationis, & prædeſtinatorum certitudo, nõ poteſt ex illo capite oriri.

Digitized by Google

Suares verò, & Fonſeca, qui volunt illam certitudinem eſſe ſimul in illa ſcientia media, & ſimul in voluntate, verius loquuntur, ſed non conſequenter; cùm ipſi teneant à determinatione ipſius voluntatis nullam poſſe capi certitudinem, ſed totam dependere ab intellectu: nam ſi ab ipſis petas, quare effectus non poteſt cognoſci in ipſa diuina voluntate; Reſpondent. Quia ordinet Deus quicquid voluerit, ſemper nihilominus effectus eſt contingẽs, & liber futurus; Et ideo non ex ipſius volũtate, ſed ex ipſa intellectus altitudine, qui ipſum effectum contingentem penetrat: hoc etiam docet Suares in opuſ. lib. 2. cap. 4. ratione 2. ſic aiens, Eandem omnino vim habet ratio, quæ ex efficaci vocatione, ſeu ex præuenienti auxilio ſumi poteſt: nam quòd ſit aliqua diuina vocatio ita efficax, vt certum & infalibilem habeat effectum, quatenus ex Dei intẽtione procedit, ſatis in ſuperioribus oſtenſum eſt, tam ex modo loquẽdi ſacrę ſcripturæ, quàm ex doctrina patrum: prę ſertim Auguſt. & Chryſoſt. Ac per ſe ſatis certũ apparet pertinere maximè ad ſuauitatem, ac efficaciam diuinæ potentiæ,

& prouidentiæ ſupernaturalis, vt poſſit quo velit, corda conuertere, & quomodo velit, vel vt poſſit, ita interiùs ſuadere, vt efficaciter perſuadeat, vel denique poſſit, ita interius docere, vt non ſolum homo diſcat, ſed etiam diſcendo videat, videndo, appetat, & appetẽdo perficiat. At verò niſi hæc ſcientia conditionatá ſupponatur, non poterit eſſe vocatio, ita efficax, vt omnino infalibilẽ habeat effectum, ita vt poſita præfinitione, implicet contradictionem non fieri. Igitur intellectus diuinus non poteſt capere certitudinem ab ipſa voluntáte: ergo voluntas nihil efficit ad pręfatam certitudinem. Bone Deus, quare intellectus diuinus penetrat effectum contingentem, certóque videt, quid quæque volũtas volitura ſit, nullo voluntatis actu adhuc elicito, & non penetrat certò ipſum, nullo habito reſpectu ad diuinã voluntatẽ? ſi intellectus diuinus nõ ſiſtit in contigentia, ſed penetrat rei euentum, quare Suares, & Fonſeca dicunt, Nec ex vi præſcientiæ erit certitudo de effectu futuro, niſi tantùm cõditionatè? Quare etiam altitudo diuini intellectus non penetrat hanc conditionem?

Deus quo vult vertit hominum corda.

Digitized by Google

Equidem mihi videtur hæc neceſſaria conſequentia, poſt actum approbatiuum, vel permiſſiuum diuinæ voluntatis, effectus in ſe eſt falibilis; & contingens, & tamen altitudine ſui intellectus, in hac falibilitate inuenit certitudinem, & in hac contingentia videt infalibilitatem: ergo Deus ſcientia illa media, & ſi videat effectum futurum ſub conditione, tamen non ſiſtit in illa conditione, ſed certò ſcit effectum in ſe, quia non ſiſtit in illa conditione: ergo Deus, illa ſcientia media, videt aliquem eſſe prædeſtinatum, nullo accedente actu voluntatis, vel etiam ſi accedente actu voluntatis, effectus adhuc ſemper eſt contingens, abſolutè ergo nullomodo poſſe à Deo certo cognoſci.

Voluntas præbet intellectui certitudinem.

Tunc vltra, voluntas eſt cæca, & nihil volitum niſi prius cognitum, vt argumentatur Suares: ergo certitudo intellectus non poteſt prouenire ab ipſa voluntate, neque ab ipſa dependere, ſequeretur enim quòd cæcus cæcum duceret, ſi voluntas præberet intellectui certitudinem. Si enim nullo accedente actu voluntatis, Deus ſcit aliquid futurum certo, ſed conditionatè, illo vero accedente,

accedente, ſcit illud certò determinatè, ſequeretur nihil eſſe cognitum certo, niſi prius ſit volitum. Quod eſt contra Suares. Et ſi voluntas mouetur ab intellectu, ſi intellectus non iudicat determinatè aliquid eſſe verum, quomodo poteſt mouere voluntatem, vt aliquid determinatè velit?

Dicendum igitur illud theorema valere ſolùm in rebus creatis, in quibus verè voluntas ab intellectu ducitur in ſuũ obiectum, quod eſt extra ſe: nullã enim aliam aſſignãt philoſophi, cauſam quare volũtas ſit cæca, niſi quia eius obiectum nõ inuenitur in ipſa, ſed in rebus; quarũ ipſa non eſt cauſa; Immò & ipſæ res ſunt cauſa obiectiua ipſius creatæ voluntatis; Voluntas autem diuina, quæ eſt cauſa omnium rerum, nullomodo eſt cæca; quia ipſa ſibi format ſuum obiectum. Vúltque aliquid non quia erat, ſed quia voluit ipſum eſſe. Et hoc eſt quod vult dicere diuus Thomas in opuſ. de prædeſtinatione cap. 3. aiens, voluntatem Dei, dici abſolutè cauſam rerum. Concedo igitur quòd determinationi voluntatis, debeat præcedere aliqua cognitio (datur enim ordo eſſentialis inter

Voluntas Dei non eſt Cæca, ſicut eſt voluntas hominis.

Digitized by Google

obiectum intellectus, & obiectum voluntatis, tum humanæ, tum etiam diuinæ (vt vult Caietanus) ſed iſta cognitio eſt tantùm rei poſſibilis, quam appellamus ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, quæ eſt ratio, vt dicamus; in diuinis, cognitionem pręcedere velle, & velle procedere ab intelligere; Dicit enim imperfectionem, ideo implicat velle aliquid, & neſcire num illud ſit poſſibile; Immò & omnes propoſitiones cõditionales, quas intellectus format, nullo actu voluntatis accedente, eſſe merè poſſibiles, iudicamus. Et pace tanti viri, (quē aliàs multum veneror;) retorqueo ſic argumentum. Si nihil eſt volitum niſi ſit prius cognitum, intelligatur de cognitione ſcientiæ mediæ, ſequeretur quòd Deus nihil vellet, niſi priùs hac ſcientia, illud cognouerit, quod eſt contra id, quod ipſe & omnes aduerſarij docent, ex mente Damaſceni: Dicunt enim. Inter ea, quæ ſub diuinam prouidentiam, ac voluntatem cadunt, ea, quæ à libero arbitrio creato minimè pendent, ſola diuina prouidentia, ac voluntate gubernari, ac proinde quęcunque eorum eueniunt, à Deo eſſe volita, abſoluta volun-

Molina 1. p.q.19. art.6.

Digitized by Google

tate.j. abſque ſcientia media. Si dicant, illos loqui tantùm de his, quæ vult voluntate antecedenti, iam vides fugam eſſe voluntariam, quia illud Theorema abſolutè veriſſimum eſt, nec non pugnat, cum his, quę ipſi paſſim docent; inter voluntatem diuinam nempe, & hanc ſcientiam mediam, dari ordinem eſſentialem. Tunc vltra. Si neceſſarium eſſet ad quemcunque actum voluntatis, præceſſiſſe hanc ſcientiam mediam, ſequeretur quòd nulla eſſet ſcientia ſimplicis intelligentiæ: nam fruſtratoria eſſet. Probatur conſequentia, quia hęc ſcientia ſufficit ad dirigendam ipſam voluntatem, ſatis enim eſt, vt Deus ſciat num poſſit aliquid facere ex hypotheſi, ad hoc, vt illud velit: Quid enim neceſſarium eſt primùm ſcire illud eſſe poſſibile ſimpliciter, & abſolutè, & deinde poſſibile ſub conditione; cùm hoc ſecundum contineat, quicquid continet primum? nam ſi videt aliquem effectum futurum ex hypotheſi, iam videt illum poſſibilem. Duas igitur has ſcientias debemus conſtituere in Deo, ſ. per quam cognoſcit eſſe futurum ex hypotheſi, & hæc vocabi-

Inter diuinam voluntatem & ſcientiam mediam datur ordo eſſentialis.

Scientia duplex ſimplicis intelligentiæ & viſionis.

tur nõ media,(quia medium dicit reſpe-ctum ad duo extrema) ſed ſcientia conditionata;& alteram,qua videbit futura ſimpliciter, quam viſionis appellabimus. Si dicant, iſta ſcientia media non eſt purè naturalis, neque purè neceſſaria,ideo aſſignanda eſt alia,quæ ſit merè ſimplicis intelligentiæ.Contra,Naturale & neceſſarium eſt, Deum cognoſcere, quòd ſi Petrus in tali, vel tali occaſione ponatur, hoc vel illud facit, ſicut naturale eſt nobis, quòd ſi ſtupa approximetur igni comburetur, cognoſcere. Reſpondent, hoc licet verum ſit ex parte Dei; quia tamen liberum arbitrium poteſt reuera agere oppoſitum, Ideo &c. tunc infero, ergo iſta ſcientia media non poteſt aliquid certò cognoſci, & cùm à Deo quicquid cognoſcitur, euidentiſſimè cognoſcitur, ſequitur neceſſariò hanc ſcientiam non eſſe vllomodo in Deo ponendam.

Sed quicquid ſit de aduerſariis,teneo firmiſſimè, opinionem diui Thomæ eſſe eis contrariam, qui luce clarius, pluribus in locis docet liberum arbitrium optimè concordari cum diuina prædeſtinatione, ex ipſa efficacia diuinæ vo-

Digitized by Google

luntatis, & ex qua capitur certitudo prædeſtinationis: hinc miror Caietanum dicentem diuum Thomam nihil ſcripſiſſe circa hanc difficultatem. Duo loca igitur inuenio in diuo Thoma, vbi hoc, modo Angelico, docet. Primum, 1. p. q. 22. art. 4. in reſponſione ad 2. vbi ſic argumentatur. Vnuſquiſque prouiſor ſtabilit opus ſuum quantum poteſt, ne deficiat, ſed Deus eſt ſummè potens: ergo neceſſitatis firmitatem, rebus à ſe prouiſis tribuit. Ad quod ſic reſpondet. Ad ſecundum dicendum, quòd in hoc eſt immobilis, & certus diuinæ prouidentiæ ordo, quod ea, quæ ab ipſo prouidentur, cuncta eueniunt, eo modo, quo ipſe præuidet, ſiue neceſſariò, ſiue contingenter. Et ideo euenit infalibiliter, & neceſſariò quòd diuina prouidentia diſponit, euenire infalibiliter, & neceſſariò, & euenit contingenter, quod diuinę prouidentiæ ratio habet, vt contingenter eueniat. Vbi patet ipſum reconciliare contingentiam, & libertatem arbitrij, cum diuina voluntate infalibili, ex hoc, quòd Deus non prouidet aliquem effectum futurum, quocumque modo,

Euenit neceſſario quod Deus prouidet neceſſario euenire, & contingenter.

Digitized by Google

modo, ſed ſecundùm modum conformem ſuæ naturæ. Voluit igitur Deus prædeſtinationem Petri infallibiliter, ita tamen, quòd liberè etiã ſit à parte Petri. Et idem voluit dicere in reſponſione ad 3. aiens. Vnde modus contingentiæ, & neceſſitatis, cadit ſub prouiſione Dei, qui eſt vniuerſalis prouiſor totius entis. Et ex hac doctrina conficio argumentum contra aduerſarios ſic. Per ſcientiam mediam Deus videt (verbi gratia) Petrum pro ſua libertate illud & illud operaturum, ſi in tali, vel tali occaſione conſtituatur, & hoc approbando, prouidet de mediis, quibus vidit illum peruenturum ad talem finem: ergo Deus prouidet ſolum effectum, & non modum effectus, quod eſt contra id, quod expreſsè docet diuus Thomas in prædictis.

Dices quòd ſi Deus poteſt velle efficaciter aliquem effectum, & illum præfinire, & quod nihilominus contingenter eueniat; quia videlicet tanta eſt efficacia diuinæ voluntatis, vt non modo aſſequatur id, quod vult; ſed etiam eo modo, quo natura libera ad illud peruenire poteſt; ad quid igitur tot præcatio-

nes, & obiurgationes ad pœnitentiam, quas ſcriptura commemorat? Nam ſi numerus prædeſtinatorum,& reproborum eſt prædeſtinatus à Deo, & efficaciter volitus, fruſtra exhortarentur homines, fruſtra etiam Deus multis inſpirationibus corda eorum inſtigaret. Reſponſio huius argumenti inferius habebitur; ſed certè ſi bene eorum opinio libraretur, idem prorſus ſequeretur: Nam ſi Deus certiſſimè præſciuit, quibus profuturæ ſint ipſius inſpirationes, & quibus non, ſi in tali, & tali &c. Fruſtra videretur exhortari eos, quos ſciuit, ſuis donis repugnaturos, verbi gratia, ſciuit Deus ſcientia illa conditionali, ab æterno Iudam conſtitutum in tali, & tali occaſione, in tali & tali ordine rerum, repugnaturum diuinis inſpirationibus, & ſpreturum verba Chriſti prædicantis, quare igitur admonebat ipſum humilitate, & lachrymis ad vitam exhortabatur? Dicendum igitur eſt, quòd hæc media exhortationis,& prædicationis, & orationis, & cuiuſlibet virtutis opera, ita apponuntur

Ad quid ſeruiunt tot predicatorum admonitiones.

ab hominibus, vt nihilominus ſint effectus diuinæ prædeffinitionis; prouidet enim Deus, vt hæc ipſa fiant ad finem prædeſtinationis, quorumdam, & etiam reſpectu aliorum, interdum fiant ad maiorem oſtenſionem diuinæ iuſtitiæ, eo quòd illi, propter ſuam malitiam, hæc ipſa conuertunt in iram; (permittente Deo). Et hoc eſt, quod dicit Apoſtolus 2. Cor. 2. Chriſti bonus odor ſumus Deo, aliis quidem odor mortis in mortẽ, aliis verò odor vitæ in vitam. Et ſimiliter Actorum 15. prædicante Apoſtolo dicitur, crediderunt autem quotquot ibant præordinati in vitam æternam. Ecce iſta prædicatio fuit medium & effectus prædeſtinationis illorum, & medium ad ſalutem.

Certitudo prædeſtinationis non imponit neceſſitatem.

Alter locus habetur in opuſ. de prædeſtinatione cap. 6. in corpore, Reſpondeo dicendum ad primam quæſtionem, quòd licet prædeſtinatio certitudinem habeat, non tamen illa certitudo, neceſſitatem ſaluandis imponit; ſicut enim ſupra dictum eſt, in 1. c. Prædeſtinatio in ſuo intellectu includit præſcientiam, voluntatem, & prouidentiam. Prouidentia autem

Digitized by Google

quamuis ſit omnium (vt dictum eſt) non tamen omnia neceſſariò eueniunt, ſed ſecundùm conditionem proximarum cauſarum, quarum naturas & ordinem, prouidentia non deſtruit, ſed conſeruat. Præſcientia etiam non imponit neceſſitatem rebus, nec in quantum eſt cauſa, cùm ſit cauſa prima, cuius conditionem effectus non ſequuntur, ſed cauſæ proximæ. Nec in quantum certitudinem, & determinationem habet, quia illa certitudo diuinæ præſcientiæ attenditur, non ſecundùm quod res eſt in ſuis cauſis (in quibus eſt, vt poſſibile futurum tantùm) ſed ſecundum quod habet eſſe determinatum in actu, prout eſt præſens, & non futura, vt ſupra expoſitum eſt, cap. 4. voluntas etiam cùm ſit cauſa vniuerſalis, & prima omnium rerum, non excludit omnes proximas cauſas rerum. Nec hoc eſt ex inſufficientia voluntatis, ſed ex ordine ſapientiæ ipſius, quæ effectus mediantibus aliis cauſis prouenire diſpoſuit, vt ſic etiam cauſandi dignitas, creaturæ communicaretur. Vnde diuinæ voluntatis efficacia exigit, vt non ſolùm ſit, quod Deus vult, ſed etiam vt

Prouidĕtia Dei non deſtruit ſed conſeruat naturas rerum.

Digitized by Google

hoc modo ſit, ſicut Deus vult, illud eſſe. Et ita patet, quòd certitudo prædeſtinationis, nullam neceſſitatem ſaluandis imponit. Hæc ille.

Ecce quomodo Diuus Thomas multum laborat, vt vult Suares ad conciliandum libertatem noſtram, cum diuina voluntate, & prædeſtinatione; an verò id aſſequatur, iudicare nequeo, ſed contendo nullum alium modum poſſe ab intellectu creato inueniri. Nihilominus ſcio illum modum conciliandi libertatem mediante illa ſcientia media, eſſe præter, immò contra intentionem Diui Thomæ, vt clarè vides. Quod vero Suares dicat ſe aliquantulũ laboraſſe, denique difficultatem ſuperaſſe, iudico illum ſatis ſecurè locutum fuiſſe: Scio enim ipſum multum laboraſſe, non in reconcilianda libertate cum ſcientia illa conditionali; Nam illa poſita; cuique ignaro, & in theologicis, & philoſophicis, nullo modo verſato, ſatis illud clarum erit, & ideo à rudi plebe, ſed non à doctis viris, duabus manibus, hodie amplectitur. Vnde in hoc nunquam laudabo aduerſariorum ſubtilitatem, & ingenium. Quia hac

Conciliatio aduerſariorum eſt cõtra D. Thomam.

poſita quis non reconciliabit libertatem, dicendo Deum nihil prædetermi-naſſe, nullum præfiniſſe, niſi quem viderit taliter pro ſua libertate operaturum, ſi in tali, vel tali occaſione poneretur; ſed concederem potius, illos laboraſſe, & multum in inuenienda illa ſcientia media, quàm neque in ſcripturis, neque in patribus, inuenio. An verò id aſſequuti fuerint, nulli dabo fidem, niſi ſoli Eccleſiæ, & præceptori meo, quorum pedibus, hoc opuſculum tota anima ſubiicio.

Verus modus reconciliandi libertatem cum diuinis prædefinitionibus.

Elegantiſſimus igitur, & optimus modus ſaluandi contingentiam, & libertatem ſimul cum infalibilitate diuinæ præſcientiæ, & prouidentiæ: eſt, quòd non ſolùm ſubiacent diuinæ prouidentiæ, & præſcientiæ omnes res & omnes cauſæ: ſed etiam modi eſſendi, & modi cauſandi. Vnde non ſolùm Deus prouidit aliqua eſſe futura: ſed etiam voluit, & prouidit aliqua eſſe futura neceſſariò, aliqua liberè, aliqua contingenter. Et idcirco, quod attinet ad efficaciam diuinæ voluntatis, quæ impediri non poteſt. S. Tho. ſupra quæſtio. 19. art. 8. docet, quòd non ſo-

Digitized by Google

lùm efficacia diuinæ voluntatis, ſimul eſſe poteſt cum contingentia futuri euentus, & libertate noſtra: verùm etiam quod ex ipſa efficacia diuinæ voluntatis emanat, & procedit, vt quidam effectus contingenter eueniant. Nam cum diuina voluntas ſit maximè efficax idcirco; cuncta eueniunt eo modo, atque ratione, qua Deus vult illa euenire, ſed vult vt quædam neceſſariò eueniant, & quædam liberè & contingenter; ergo &c. vnde ſequitur ex his primo, quòd efficacia diuinæ voluntatis, non ſolùm non tollit libertatem, ſed potius illam conſtituit, atque confirmat. Secundò, quod quando communiter dicitur, Quicquid eſt à Deo præſcitum, prouiſum, infalibiliter eueniet, non eſt intelligendum hoc, qualicunque ratione. Sed, ſic quicquid eſt à Deo præſcitum, infalibiliter, eodem modo eueniet, & eadem conditione, ſicut prouiſum eſt, & præſcitum à Deo. Quòd, ſi prouiſum eſt, vt eueniat contingenter, aut liberè, certè eueniet liberè, & contingenter, & hoc erit infalibile.

Si dices, illa media, quæ Deus diſpo-

Digitized by Google

ſuit, vt prædeſtinatus ſalutem conſequeretur, aut ſunt talia, quæ poſſint nõ acceptari, vel quæ non poſſint non acceptari? Si poſſunt refutari, & non acceptari: ſequitur quòd prædeſtinatio poteſt ſuo euentu, atque effectu fruſtrari. Si verò non poſſunt non acceptari, & non poſſunt refutari: iam perit liberum arbitrium. Et conſequenter ex ipſa prædeſtinatione imponitur neceſſitas prædeſtinato ad ſalutem. Ad hoc reſpondetur, quòd media illa poſſunt quidem diuiſim refutari, ex libertate humani arbitrij, atque reiici: nam poteſt homo reſiſtere. Cæterum diuina prouidentia erga prædeſtinatos, eſt particulariſſima, Eo quòd multis & variis modis prædeſtinatos tuetur, ne cadant, & prolapſis porrigit manum, vt reſurgant: vt ſic certò perueniant ad prædeſtinationis effectum. In his tamen modis omnibus, quibus Deus munit electos ſuos, quando vel tuetur ne cadant, vel iuuat, vt reſurgant, liberum arbitrium hominis ſuauiter à Deo trahitur: magna tamen efficacia, Cui humana voluntas de facto acquieſcit: non quidem vt coacta, ſed vt efficaciter per-

Media prædeſtinationis poſſunt fruſtrari.

Digitized by Google

mota, ac tracta ſecundum conditionem naturæ ſuæ. De qua re fuſior erit nobis, in quæſtionibus de auxiliis, ſermo.

Non ergo inducit in deſperationem talis certitudo, quæ à nobis aſſignatur in prædeſtinatione, & prouidentia Dei, ſed potius in humilitatem, & bonos mores, non eſt durus; imò ſuauiſſimus talis prædeſtinationis ordo, dulciſſimus, quo ducimur efficaciter ad id, ad quod duci liberè cupimus.

Finis libri primi.

Digitized by Google

LIBER SECVNDVS.

Quæſtio ſecunda de auxiliis diuinis.

QVI negant præfinitiones, negant conſequenter prædeterminationes Phyſicas, & ſicut ſcientiâ mediâ negabant efficaciam diuinæ voluntatis, ita & eidem, negant efficaciam, & motiones Phyſicas diuinorum auxiliorum. Nam dicebat Suares, quòd ſcientia media ſupponitur vt neceſſarium fundamentum ab eis, ad declarandam efficacem vocationem, & totum diuinæ prædeſtinationis myſterium; cùm tamē non omnes Catholici illam ſcientiam

Qui negāt præfinitiones negant prædeterminationes

Digitized by Google

admittant. Immò Molina ait, ſine hac, abſque errore non eſt poſſibile intelligere, quid patres, & Eccleſia doceat. Vt igitur in re tam magni momenti, diſtinctè, & cum veritate procedamus, nos in tribus concluſionibus conuenire, velim ſcias.

Nullum eſt in hac vita auxilium cui homo reſiſtere nõ poſſit.

Conuenimus igitur primò, nullum eſſe in hac vita donum, vel auxilium, quod hominem ita confirmat, moueat, & determinat; vt illi, homo reſiſtere non poſſit. Et puto hanc concluſionem eſſe de fide, expreſſam in multis conciliis, & præcipuè Tridentino ſect. 6. cap. 5. cuius verba ſunt hæc. Exordium iuſtificationis in adultis, à Dei præueniente gratia, hoc eſt, ab eius vocatione, qua nullis eorum exiſtentibus meritis vocantur, vt qui per peccata à Deo auerſi erant, per eius excitantem, atque adiuuantem gratiam, ad conuertendum ſe ad ſuam ipſorum iuſtificationem, eidem gratiæ liberè aſſentiendo, & cooperando diſponantur, & ita tangente Deo cor hominis per Spiritus ſancti illuminationem, neque homo ipſe nihil agat, inſpirationem illam recipiens quippe qui & illam abiicere poteſt. Hæc

ſun

ſunt verba ſacri Concilij. Conuenimus igitur in hoc, quòd ita debet aſſeri neceſſitas diuinæ gratiæ, vt non deroget libero arbitrio: nam ſi daretur auxilium, ita efficax, vt illi voluntas vel diſſentire, vel illi reſiſtere non poſſit; libertatem voluntatis pœnitus deſtrueret.

Ad cuius rei intellectum, & ſi non habeamus ad rem hanc oſtendendam adæquata exempla, quibus explicemus, quomodo Deus ſe habeat in operibus gratię, cum libero arbitrio, de quo dicebat Diuus Auguſtinus, altæ & profundæ ordinationis eſſe. Ægidius nihilominus in 2. diſt. 28. q. 1. ponit exemplum, quod Deus in operibus gratiæ ſe habet aliquo modo, ſicut magiſter cum diſcipulo, quem docet ſcribere; ille enim non ſolùm aptat calamum, ſed etiam ponit in manu pueri, & propterea apprehendit manum ipſius cum calamo, & mouendo eam, efficit vt puer formet debitè caracteres, ipſo puero liberè cooperante, & conſentiente. Hoc quod doctor Angelicus prima p. q. 105. art. 5. inſinuere voluit, quando dicebat, Deum non ſolum dare creaturis formas, qui-

Deus non ſolum dat formas ad agendum, ſed etiam applicat.

Digitized by Google

bus agant; ſed etiã mouere res ad operandum, quaſi applicando formas, & virtutes rerum, ad operationem, non ſicut artifex, vtens inſtrumento materiali, & mortuo, ſed viuo, libero, & rationali.

Sed quæſtio inter nos eſt, & non parua, quænam libertas maneat in arbitrio, & quamnam neceſſitatem ponat motio Dei efficax in ipſo libero arbitrio: nam Thomiſtæ quotquot ſunt, tenent cum eorum Thoma, ponere tantùm neceſſitatem conſequentiæ, & non conſequentis, in qua nihilominus ferunt ſaluari libertatem. Vnde Diuus Thomas in de prędeſtinatione cap. 4. ad 3. ait. quod duplex eſt neceſſitas, ſcilicet abſoluta, & conditionata, ſiue reſpectiua. Neceſſitas abſoluta, quæ opponitur contingentiæ, dicitur neceſſitas conſequentis, quæ eſt ex cauſis neceſſariis. Neceſſitas autem conditionata eſt ex ſuppoſitione, ſiue conditione, & dicitur neceſſitas conſequentiæ. Et hæc non opponitur contingentiæ, & libertati, quia non eſt ex cauſis neceſſariis abſolutè, Nam aliquod contingens neceſſariò ſequitur, facta ſuppoſitione. Hæc ille. Et pater Medina

In diſtinctione ſenſus diuiſi ſaluatur libertas.

Digitized by Google

1. 2.q.10.art.4.ſic loquitur. Sed iam tẽpus eſt, vt veram huius nodi diſſolutionem proſequamur, certè Diuus Thomas hoc in loco,& 1.p. q. 83. art.1.in ſolutione ad 3. dicit, quòd poſito Dei concurſu, non eſt poſſibile, quòd homo non moueatur, ſtante diuino concurſu, cæterum abſolutè, & ſimpliciter poteſt non moueri, quod perinde eſt, atque ſi diceret, non eſſe impoſſibilem hanc copulatiuam eſſe veram, Deus concurrit mecum, & mouet meam voluntatem, & mea voluntas non mouetur. Cæterũ hæc copulatiua eſt vera, Deus concurrit mecum ad volendum, vel loquendum, & ego poſſum non velle, vel nõ loqui. Cuius cauſa eſt; quia Deus concurrit cum cauſis ſecundis ſic, vt non deſtruat eorum naturas, nam ſi ego diſputo, neceſſe eſt quòd loquar, verùm non neceſſariò loquor, quoniam non neceſſariò diſputo, ad eundem modum ſtante Dei concurſu, & motione, non poſſum non moueri; ſed non neceſſariò moueor: hæc enim eſt neceſſitas conditionalis non abſoluta.

Item Diuus Thomas 1.2.q.10. argumento 3. ſic diſputat. Poſſibile eſt quo

Digitized by Google

poſito, non ſequitur impoſſibile, ſequitur autem impoſſibile, ſi ponatur, quòd voluntas non velit hoc, ad quod Deus eam mouet; quia ſecundum hoc, operatio Dei eſſet inefficax (ergo ſciuit Diuus Thomas vocationes efficaces, quibus, homo non poteſt reſiſtere) Non ergo eſt poſſibile, voluntatem non velle hoc, ad quod Deus eam mouet: ergo neceſſe eſt eam, hoc velle. Quod eſt contra illud; Deus ab initio cõſtituit hominem, & reliquit eum in manu conſilij ſui. Ad hoc argumentum reſpondens ait, ad 3. dicendum, quòd ſi Deus mouet voluntatem ad aliquid, impoſsibile eſt huic poſitioni, quòd voluntas ad illud non moueatur, non tamen eſt impoſsibile ſimpliciter; vnde nõ ſequitur, quòd voluntas à Deo ex neceſsitate moueatur. Hęc ille. Quem locum, ſi cum alio ſupra allato conferes, videbis mentem Diui Thomæ eſſe, in neceſsitate conſequẽtis ſaluari libertatem. Hinc etiam pater Cõradus, primus ex D. Thomæ diſcipulis, ſic ait. Nõ eſt ergo poſsibile ſimpliciter verũ ex ſuppoſitione, ſuppoſito, ſcilicet quòd De⁹ velit voluntatẽ ad hoc mouere efficaciter, ſed eſt poſsibile abſolutè.

Non eſt poßibile quod Deus moueat voluntatẽ ad aliquid & ipſa ad ipsũ non moueatur.

Digitized by Google

Et doctiſsimus pater Bannes 1. p. q. 23. art. 5. ad 7. dicit. Neque effectus diuinæ voluntatis impediri poteſt à voluntate noſtra;ſed neceſſe eſt, neceſsitate conſequentiæ & ſuppoſitionis, quòd voluntas noſtra ſequatur efficacem Dei directionem,& concurſum. Et paulò inferius ait. Reſpondetur ſecundò, quòd ſi Concilium loquitur de auxilio efficaci,quo homo iuſtificatur;dicendum eſt, liberum arbitrium ſimpliciter,& in ſenſu diuiſo poſſe diſſentire,ſi velit,non autem in ſenſu compoſito, eo modo, quo tenemus eſſe de fide,prædeſtinatũ poſſe damnari, & reprobum ſaluari, licet de facto,neque prædeſtinatus damnabitur, neque reprobus ſaluabitur. Et 1.p.q.82. art.3.dubio vltimo ſic ait, & ſi dicas impoſsibile eſt in ſenſu compoſito quod intellectus aliter iudicet exiſtente voluntate,finis ergo non eſt liberta voluntas in ſenſu compoſito.reſpondetur cõcedendo antecedens & negando conſequentiam, quia liberas non diffinitur quod ſit facultas rationis ad vtrumlibet in ſenſu compoſito, ſed ad vtrumlibet in ſenſu diuiſõ.

Hoc idem docet Capreolus,multis in

Digitized by Google

locis, Ferarienſis, pater Cumel 1.p.q.23. art.7.diſp.1.vbi ſic loquitur. Dicendum eſt quòd prædeſtinatus, (idem enim iudicium faciendum puto de prædeſtinato, & de moto auxilio efficaci, ſicut etiã ipſe idem exiſtimat) poteſt duobus modis conſiderari: vno modo ſecundum ſe, & ſecundũ potentiã, quæ eſt in ipſo, altero modo prout concipitur ſub forma prædeſtinationis, & in ordine ad Deum prædeſtinantem. Primo modo concedo quòd ille homo, qui eſt prædeſtinatus, poſsibile eſt mori in peccato mortali, nõ enim repugnat homini viatori, ſi præcisè, & ſecundùm ſe conſideretur, quòd poſsit mori in peccato mortali. At verò ſecundo modo negandum eſt, poſſe prædeſtinatum mori in peccato mortali; ille namque ordo prædeſtinationis, non compatitur ſecum iſtum euentũ: licet cõpatiatur illam potentiã.

Poßibile eſt prædeſtinatum mori in peccato mortali.

Aduerſari autem non ſolùm nolunt intelligere, ſed etiam ſpernunt hanc doctrinam, dicuntque ipſam deſtruere libertatem, & eſſe cõtra fidem: Nam Suares in opuſculis in controuerſia, de auxilijs, argumẽto ſecundo ſic ait. Et quãuis ad rationem hanc, variæ excogitatæ ſint

reſponſiones, omnes tamen vel repugnant Concil. Trident. vel eius doctrinam eneruant & eludũt: vel certè repugnant ſcripturæ dicenti, voluntati Dei efficaci neminem reſiſtere poſſe: vel in ſe inuoluunt contradictionem, dum aiunt tale eſſe auxilium hoc, vt Phyſicè prædeterminet voluntatẽ, & repugnet ei à ſua operatione ſeparari: & ſimul dicũt voluntatem poſſe illi reſiſtere, licet nunquam reſiſtat: quocirca non video quomodo, cum hac Phyſica prædeterminatione, libertatis vſus, & exercitium poſſit conſiſtere. Et in eodem argumẽto ait. Hoc autem declaramus, primò ex doctrina Anſelmi, recepta à Diuo Thoma, (mirum eſt, quòd iſte vir dicat hæc ad mentem Diui Thomæ; cùm nihilominus eius mens ſupra declarata, contraria prorſus ſit) & ferè omnibus antiquis Theologis, quia licet neceſſitas ſolius conſequentiæ, quæ eſt ex ſuppoſitione conſequente, ſeu includente vſum libertatis, non tollat libertatem, quia iam illius vſum ſupponit; tamen neceſsitas ex ſuppoſitione antecedente ipſum libertatis vſum, & neceſſariò inferente illum, tollit omninò libertatem:

Aduerſarij ſpernunt diſtinctionem ſenſus compoſiti & diuiſi.

quia tunc effectus, neque in ſe neque in ſua cauſa, eſt liber. Non in ſe, quia procedit à cauſa determinata ad vnum. Non in ſua cauſa, quia illa poſita eſt, & ad vnum determinata independenter, ab vſu libero, eiuſdem cauſæ.

Et Fonſeca lib. 6. cap. 2. quæſtione 4. ſectione 6. ſic ait. Quòd vero pro defenſione huius ſententiæ, & à Scoti ſectatoribus, & à quibuſdam doctrinæ Diui Thomæ ſtudioſis, afferri ſolet de ſenſu compoſito, & diuiſo: (nimirum, & ſi in ſenſu compoſito, voluntas noſtra à Deo determinata, non poſsit oppoſitum agere; tamen in ſenſu diuiſo poſſe) nulla ratione cohæret cum veritate: nam ſenſus diuiſus in hac re, eſt ſi voluntas noſtra non ponatur determinari à Deo, hoc autē pacto, nihil ea poſſet agere, niſi fortaſſe actum moraliter malum, quamquam ne hoc quidem poſſet, niſi Deus eiuſdem ſentētia, illam ad ſubſtantiam operis determinaret: vnde ſequeretur Deum eſſe auctorem peccati, ita patet opinionem hanc magnam habere affinitatem cum ſentētia eorū, qui omnia fatali neceſsitate euenire ceceſſuerūt, niſi eò modo exponatur, vt

vſum humanorũ actuũ, nobis liberũ relinquat, quod eorum multi contendunt oſtendere, nec tamen hactenus, quiſquam videtur planè aſſequutus.

Molina etiam in de concordia diſp. 18. ſic loquitur. Neque ſatisfacit reſponſio, qua dicunt huiuſmodi adultum, in ſenſu compoſito; non poſſe non conuerti, in illo inſtanti; poſſe tamen in ſenſu diuiſo, idque ſatis eſſe, ad rationẽ libertatis (loquendo de diuo Thoma, vt tibi patuit) hæc inquam reſponſio, non ſatisfacit; quoniam in re propoſita, non video quid aliud ſit compoſitus, & diuiſus ſenſus, quàm præſenti auxilio efficaci, non poſſe non conuerti, ſine difficultate, tunc in arbitrio ſic diſpoſito, vt non conuertatur, & abſente eo auxilio, poſſe non conuerti, Immò non poſſe conuerti, ſine facultate in arbitrio, tunc vt conuertatur. Hoc autem non eſt libertas, in arbitrio ipſo, vt conuertatur, aut non conuertatur; ſed eſt libertas in Deo, vt libera collatione auxilij efficacis, illud conuertat, aut vt continendo idem auxilium, illud non conuertat, non ſecus, ac lapidem vi

Digitized by Google

mea, poſſe moueri in dexteram partem, & non moueri, ſi vim non adhibeam, nõ eſt libertas in lapide vt moueatur, aut non moueatur; ſed eſt libertas in me, vt illum moueam, aut nõ moueam. Quod de ſenſu compoſito, ac diuiſo, dici aliquando meritò conſueuit, locum habet, quando in arbitrio ipſo, verè adeſt facultas ad contrarium nihil omnino impediente re, quæ præexiſtit, & cohærere non poteſt cum tali contrario. At ſi contrarium, vt per liberum arbitrium poteſt, eſſet futurum, nunquam res illa præexſtitiſſet.

Suares in opuſ. cap. 3. num. 10.

Volunt itaque aduerſarii, quòd quando dicitur ad actum liberum, neceſſarium eſſe, vt poſitis omnibus requiſitis, poſſit fieri, & non fieri; ita hoc intelligendum eſſe, vt verbum illud, poſſit, faciat ſenſum compoſitum, & non diuiſum. i. vt cum illa potentia, & omnibus requiſitis, poſſit componi. i. ſimul poni, tam actio, quàm carentia actionis; quia hoc poſtulat interna vis facultatis liberæ. Nos autem cum diuo Thoma, vbi ſupra tenemus, hoc nõ eſſe neceſſarium, & præcipuè q. 24. de veritate art. 1. ad 13.

Digitized by Google

vbi ſic loquitur. Dicendum igitur neceſſitatem conſequentis tollere libertatem, non verò conſequentiæ.

Secundò conuenimus, purè naturalia non habere commenſurationem, & accommodationem ad ſempiternam fœlicitatem, quo poſito, notiſſimum eſt, liberum arbitrium non ſolùm ſi ſpectetur in homine condito, in puris naturalibus, aut in ſtatu naturę lapſæ; ſed etiam ſi ſpectetur in Adamo, cùm ſola iuſtitia originali, præſcindendo à gratia, & omni alio dono ſupernaturali, aut in Angelo, condito in puris naturalibus, cum ſolo concurſu generali, nihil omnino eorum, de quibus eſt ſermo, poſſe efficere. Et rationem huius eleganter aſſignat diuus Thomas 1. p. q. 12. art. 3. Quia ſ. nulla res poteſt eleuari ſupra id, quod limites operationis, ac rei naturalis trãſcendit, niſi adiuuetur aliquo auxilio ſupernaturali, & hoc credere, eſt de fide in multis Cõciliis inſinuatum, & pręcipuè Tridẽtino, iuxta illud. Nemo poteſt ad me venire, niſi pater meus traxerit eum, & ſine me, nihil poteſtis facere &c. Immò cõuenimus requiri, non quodcun-

Homo ex ſeipſo nullã habet proportionem cum ſupernaturalibus.

que auxilium & gratiam, ad actualem cõuerſionem peccatoris; ſed efficacem: cum enim videamus aliquos conuerti, alios verò in malitia perſiſtere; neceſſariò vtriſque fatendum eſt, illos, qui de facto conuertuntur, habere aliquid efficaciæ, in ipſa vocatione, alioquin nunquam efficaciter conuerſi fuiſſent; ſed diſceptatio noſtra eſt, vndenam oriatur iſta efficacia, & vnde proueniat, quòd vna vocatio ſit efficax, alia vero nequaquam; & vnde eſt, vt aliqui de facto conuertuntur, minimè verò alij.

Vnde prouenit efficacia gratiæ.

Nam aduerſarii tenent, quòd iſta efficacia, tota eſt à noſtro libero arbitrio, licet diuerſo modo, iſtud explicent: quia Molina in de Concordia liberi arbitrii, cum gratia diſp. 38. ſic ait. Hinc quinto loco aſſerimus, auxilia præuenientis, atque adiuuantis gratiæ, quæ lege ordinaria, viatoribus conferuntur; quòd efficacia, aut inefficia ad conuerſionẽ, ſeu iuſtificationem ſint, pendere à libero conſenſu, & cooperatione arbitrij noſtri cum illis, atque adeò in libera poteſtate noſtra eſſe, vel illa efficacia reddere, conſentiendo, & cooperando cum illis ad actus, quibus ad iuſtificationẽ diſpo-

Digitized by Google

nimur, vel inefficacia illa reddere, continendo conſenſum, & cooperationem noſtram, aut etiam eliciendo contrarium diſſenſum, & hoc eſt, quod poſtulat ratio viæ, & ſine quo, libertas arbitrij noſtri ad iuſtificationem in puncto, quo ad Deum conuertimur, non poteſt ſalua conſiſtere.

Et paulò ſuperius ſic ait. Antequam quintum aſſertum ſubiiciamus, ſciendum eſt, nos non negare communem illam diſtinctionem, auxilij ſufficientis in efficacem, & non efficacem; ita tamẽ, vt efficax libertatem arbitrij, ac proinde meritum, & laudem ab eo non tollat, ſed in poteſtate ipſius ſit, nihil tali auxilio impediente, non conuerti, atque adeo caſſum, inefficaxque illud reddere. Quo fit; vt diuiſio ſufficientis auxilij, in efficacem & non efficacem, noſtra ſententia ab effectu, qui ſimul à libertate arbitrij pendet, ſumatur.

Fonſeca vero in 6. q. 5. ſect. 14. putat, hanc eſſe opinionem Pelagij: ſic enim ait. Verùm vnde proueniat, vt talia auxilia ſint efficacia, alia non item, Magna ſemper fuit quæſtio, à temporibus potiſſimum Pelagianorũ, & Maſſiliẽſium, *Non à libero arbitrio, ſed à vocatione congrua.*

qui ſemi Pelagiani dicti ſunt: Pelagius enim (inquit) nimium tribuens noſtri arbitrij libertati, efficaciam diuinæ vocationis noſtræ voluntatis, libero conſenſui attribuebat, aſſerens eum, qui diuinæ vocationi conſentit, efficere, vt huiuſmodi auxilium ſit efficax, contra quos Auguſtinus, & alij, eius ætatis, ſancti patres acerrimè decertarunt, oſtendentes ex diuinis litteris, non ad liberi noſtri arbitrij libertatem; ſed ad ipſam diuinæ vocationis gratiam, referendam eſſe eius auxilij efficaciam.

Subſtantia vocationis, non eſt eadem cum applicatione.

Ideo ipſe aliam ingreſſus eſt viam, diſtinguitque ſubſtantiam auxilij, ſeu vocationis, ab ipſa applicatione, nam ait: In qualibet vocatione duo ſunt, & vocatio, & applicatio ipſius, aſſeritque ſubſtantiam vocationis non eſſe efficacem, ex parte Dei, neque reddi talem, ex libero arbitrio. Et ita vocationem, cùm debitè applicatur, vocari congruam vocationem, & tunc eſſe efficacem, Applicatio enim nihil aliud eſt (ait) quàm executio diuinæ diſpoſitionis, qua Deus abſoluta voluntate, ab æterno decreuit, hunc vocandum in hac occaſione, illum in illa, ſic de cæteris. Sed vt eius

Digitized by Google

verba habeas, placuit illa afferre; ſic igitur loquitur. Dicendum igitur efficaciam diuinæ vocationis, neque à libero noſtro voluntatis conſenſu prouenire, vt probatum erat, neque ab ipſa diuinæ vocationis ſubſtantia, vt nunc oſtenſum eſt, cum hæc reuerentibus etiam venire non denegetur, ſed prouenire ab ea diuinæ applicationis gratia, qua vocatio in ea occaſione offertur, qua vocatus preſcitur perſuadendus ac promouendus. Neque enim id fit caſu, aut fortuito, ſed ex conſilio, vt dictum eſt, diuinæ voluntatis, vt merito Paulus ad Romanos, ſic applicatam vocationem appellet. Secundum propoſitum, cum ait: diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, ijs qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti. Cùm enim Deus omnes vocet, vt ſancti ſint, non omnes tamen ad id vocat ſecundum propoſitum, ſeu abſolutam voluntatem, ſed ſi velint, ipſi ſancti eſſe: ijs vero quos vocat ſecundum propoſitum, eam vocationem ſic applicat, vt certus ſit, omnia ad quę inuitantur, ſeu facilia illa ſint, ſeu laborioſa, in ſalutem illis prouentura. Quanquam enim omnia quæ ad ſubſtã-

tiam vocationis ſpectant, aliquando ſint paria in eo, qui vocatus venit, & in eo, qui vocatus venire renuit, Immò verò & ſi in eo, qui nõ venit, maior interdum ſit mentis illuſtratio interior, maiórque affectus commotio ad veniendum: eo tamen ſolo quod talis vocatio in ea occaſione applicatur ei, qui venturus eſt, qua præſcitur obediturus, ei autem qui venturus, non eſt in ea, quæ præſcitur repugnaturus (tametſi alias vocari poſſet, qua obediturus præſciretur) illius vocatio eſt efficax, huius autem inefficax.

Gratia efficax nil ponit præter ſufficientem.

Huic ſe ſubſcripſit Suares in opuſ. lib. 3. cap. 14. Et in breui reſolutione de auxilijs efficacibus, vbi ſic loquitur. Addimus ergo ſexto, quamuis gratia efficax phyſice, & re ipſa nihil ex neceſſitate ponat in homine vltra ſufficientem, tamen ex parte Dei auxiliũ efficax (quod Auguſtinus huius ferè vocis inuentor vocationem efficacem appellauit) addere ſpeciale beneficium, & quãdam moralem rationem (vt ſic dicam) quæ in hoc conſiſtit, quòd Deus ex ſpeciali & efficaci propoſito, & affectu dandi homini fidem, vel gratiam, ei præbet illam

vocatio-

Digitized by Google

vocationem & illo tempore, & modo, prout nouit accommodatam, vt cum illa homo re ipſa, & cum effectu conſentiat, quamuis poſſit non conſentire. Et ideo Auguſtinus hanc vocationem, congruam, altam atque ſecretam appellat. Solet quidem interdum dici vocatio efficax, quæ copioſa eſt, & multo maiora includit auxilia, quàm ordinariè dari ſoleant, quomodo appellauit aliquando Auguſtinus vocationem Pauli efficaciſſimam, & ſimilis fuit vocatio latronis in cruce, Matthæi, Magdalenæ, & fortaſſis Apoſtolorum omnium, & innumeræ aliæ: Tamen gratia hoc modo efficax, vt dixi, non eſt neceſſaria ſimpliciter ad operandum: Nos autem hîc loquimur de efficacia gratiæ, quæ omnibus, qui actu operantur, & conuertuntur, communis eſt: Et ideo non poteſt hæc efficacia, in illa abundantiori gratia conſtitui: conſtituenda igitur eſt in illa congruitate morali, quam Deus infinita ſua ſapientia prænouit, & benigna miſericordia, quibus voluit, præparauit.

Accedat denique auctoritas D. Thomæ 1. 2. q. 112. art. 3. dicentis. Si ex in- *De auxilijs lib. 3. cap. 14.*

tentione Dei mouentis eſt, quòd homo, cuius cor mouet, gratiam conſequatur, infalibiliter ipſam conſequetur. Quæ verba intelligi poſſunt de gratia habituali, quam infalibiliter homo conſequitur, ſe diſponendo ad illam: quia Deus, à cuius motione eſt illa diſpoſitio, intendit, vt homo per illam conſequatur gratiam ſanctificantem: & hic ſenſus eſt verus; ſed non ille tantùm eſt à D. Thoma intentus, vt patet ex teſtimonio Ioan. 6. quo ſuam ſententiam confirmat. Omnis qui audiuit à patre & didicit, venit ad me, & ex teſtimonio Auguſtini, quem etiam citat de prædeſtinat. Sanct. cap. 14. Quod per beneficia Dei certiſſimè liberantur, quicunque liberantur, quia intentio Dei non poteſt deficere.

Efficacitas gratiæ non eſt à libero arbitrio, neque ab applicatione.

Thomiſtæ vero intrepidè cum noſtro doctore aſſeueramus, efficaciam vocationis non dependere à libero arbitrio, neque minus ab occaſionibus; ſed quia de natura ſua talis eſt, vt infalibiliter conuertat eum, qui illa vocatur, quia talis à Deo creatur, Iuxta illud Pauli Rom. 9. Deus eſt qui operatur in nobis, & velle, & perficere pro bona voluntate;

Digitized by Google

Ipſe enim eſt, qui facit nos velle id, quod nos ipſi facere volumus. Sed vt vtraque opinio benè intelligatur, videndum eſt quid ſit hoc auxilium efficax, Ideo aduerte ex D. Thoma 12. q. 111. art. 2. Quòd gratia duplex eſt. Quædam eſt gratia quam appellamus actualem, quæ propriè dicitur diuinum auxilium. Alia dicitur habitualis: nam homo duo genera actionum ſupernaturalium exercere poteſt; Vnum eſt earum, quæ ab eo proficiſcuntur in quantum iuſtificatus eſt, quæ actiones dicuntur fructus iuſtitiæ. Et iſta gratia dicitur habitualis; Aliæ ſunt quæ ab eo fiunt ante iuſtitiam, vel proximè ad iuſtitiam comparandam diſponunt, & ideo propriè hæc non dicitur gratia, ſed auxilium, ſeu motio quædam, & vtraque gratia diuiditur in operantem, & cooperantem, gratia habitualis operans ſunt habitus fidei, ſpei, & charitatis, & gratiæ iuſtificantis, quæ animam ſanat, iuſtificat, & gratam Deo facit. Cooperans autem dicitur eadem, in quantum eſt principium operis meritorij, quod procedit à libero arbitrio. Et rationem huius aſſignat diuus Thomas,

Gratia duplex actualis, & habitualis.

Gratia operans & cooperans.

quia cùm cuiuſlibet formæ ſit, & dare eſſe per modum actus primi, & eſſe principium operationis per modum actus ſecundi; ſic etiam gratia habitualis, & dat eſſe gratuitum, & iuſtificatum, & eſt principium, quo gratus meritoriè operatur, & de hac gratia habituali, non loquimur; quia diſceptatio noſtra eſt de motionibus, & auxilijs ſolùm actualibus.

Auxilium igitur actuale diuiditur in operans, & cooperans, gratia operans eſt cùm mouetur homo à Deo, & excitatur ipſo homine; nihil operante, vt cùm prædeſtinatur, cum excitatur, illuminatur, vocatur, quando Deus ſtat ad oſtium, & pulſat, ipſo homine nihil de hoc cogitante. Et hanc gratiam Deus dat omnibus, tum reprobis, tum prædeſtinatis, & ad hanc reducitur externa prædicatio Euangelij, Tribulationes, infirmitates &c. quæ Deus ad nos mittit, vt à peccato reſurgamus, & hæc gratia operans, ſolet vocari præueniens, & antecedens, quæ tunc cooperans dicitur, cùm Deus eo auxilio cum voluntate concurrit, ad opus meritorium faciendum, ad quod

Digitized by Google

nos promouebat, vt faceremus; vnde gratia operans, & cooperans, eſt eadem gratia.

Puto quòd hæc ſit intentio Concilij Tridentini ſect. 6. vt qui per peccata à Deo auerſi erant, per eius excitantem atque adiuuantem gratiam, ad conuertendum ſe ad ſuam iuſtificationem, eidem gratiæ liberè aſſentiendo, & cooperando diſponantur. Vnde non eſt quare tantùm laboret Molina, vt probet operantem & cooperantem gratiam eſſe vnum, & idem auxilium: nam hæc eſt expreſſa mens Concilij, & D. Thomæ, vbi ſupra, in reſponſione ad 3. Hanc etiam defendunt omnes Thomiſtæ, pater Medina ibidem, Bannes &c.

Eadem eſt gratia operans & cooperans.

Sed quæſtio inter nos eſt, quia præter illud auxilium operans, ſeu prçueniens, nos aſſignamus aliud auxilium, actuale, & gratuitum, & aliam motionem ſpecialem, quam efficacem appellamus; cum ſemper ſit iuncta operi, cuius eſt prædeterminare voluntatem noſtram, vt infalibiliter conſentiat illi auxilio actuali præuenienti, à quo tantum habebat liberum arbitrium, ſolùm poſſe conuerti: hoc vero auxilium effi-

Digitized by Google

Auxilium efficax facit vt actu conuertamur.

cax facit, vt voluntas noſtra illi aſſentiendo infalibiliter, & in actu conuertatur. Et hæc eſt expreſſa mens diui Thomæ 1. 2. q. 112. art. 3. vbi ſic ait. Aliomodo poteſt conſiderari, ſecundum quod eſt à Deo mouente, & tunc habet neceſſitatem ad id, ad quod ordinatur à Deo, non quidem coactionis, ſed infalibilitatis, quia intentio Dei deficere non poteſt. Vnde pater Conradus exponens illa verba, ſic loquitur. Nota ſecundò quòd concluſio notanter dicit, iſto modo præparatio ad gratiam habet neceſſitatem ad id, ad quod ordinatur à Deo, quia contingit vt Deus moueat hominem ſufficienter, qui tamen non conſequitur gratiam, propter diſſenſum eius ad gratiam, ſed tunc non eſt intentio Dei, quòd ipſam gratiam conſequatur; quare diuus Thomas dicit, quòd ex præparatione, vt eſt à Deo, homo quidem conſequitur, quod Deus intendit, ſed niſi intendat efficaciter mouere, & conferre gratiam, tunc ipſam non conſequitur. Hæc ille. Et alibi hoc exponens, ſic ait. Res quoque habentes ſufficiens principium operandi, egent actuali Dei auxilio, quod requiri-

tur ad hoc vt voluntas moueatur ad a-ctum ſecundum. Et hæc eſt germana huius textus expoſitio, & miror quo-modo virum doctum Suares non pu-deat applicare hæc verba ſuæ opinioni, Quæ ex diametro illi ſunt contraria; nam ipſe vult quod efficacitas gratiæ proueniat ex applicatione ſeu occaſio-ne: Diuus Thomas autem vult quod hoc proueniat ex intentione ipſius Dei creantis auxilium, quo efficaciter aſſe-quitur id, quod miſericorditer voluit, vlterius ipſe cum aliis vult quòd homo quocunque auxilio fultus, ſemper illi eſt poſſibile reſiſtere, etiam in ſenſu diuiſo, & integrum eſt illi non opera-ri, ac ſi illo auxilio non fuiſſet præ-uentus, quia (ait) hoc requiritur ne-ceſſario ad rationem libertatis. Hic autem, diuus Thomas, ait quod ſi homo mouetur ex intentione Dei efficaci, habet neceſſitatem ad quod ordinatur à Deo; & quod ſit hæc mens diui Thomæ patet ex collatione alte-rius loci 1. 2. q. 10. art. 4. ad 3. vbi ſic ait. Quod ſi Deus mouet voluntatem ad aliquid, impoſſibile eſt huic poſitioni,

Efficacitas gratiæ prouenit ex intentione Dei mouentis.

Digitized by Google

quod voluntas ad illud non moueatur: non tamen eſt impoſſibile ſimpliciter. hæc ille. Vnde peterem, vel diuus Thomas loquitur de auxilio ſufficienti, vel de aliquo alio efficaci, non de ſufficienti quia de hoc pluribus locis loquens, ait illi hominem poſſe reſiſtere, caſſúmque reddere, & de facto multi reſiſtunt, ergo loquitur de aliquo alio auxilio. Si dicatur quod loquitur de ſufficienti vt eſt bene applicatum. Contra Auxilium ſufficiens quocunque modo, & in quacunque occaſione applicetur voluntati, talis eſt naturæ vt ſemper ſit voluntati liberum poſſe illud reiicere, etiam in ſenſu diuiſo, à quo non diſcrepant aduerſarij; Sed diuus Thomas hic ait. quod ſi Deus mouet voluntatem ad aliquid impoſſibile eſt huic poſitioni, quòd voluntas ad illud non moueatur. Confirmatur ex collatione alterius loci diui Thomæ 1. 2. q. 9. art. 6. ad 3. vbi ſic loquitur, ſed interdum ſpecialiter Deus mouet aliquos, ad aliquid determinatè volendum, quod eſt bonum, ſi-

Digitized by Google

cut in his, quos mouet per gratiam. Quid enim eſt mouere aliquos ſpecialiter ad volendum, niſi auxilio quodam ſpeciali, quod non omnibus conceditur, facere, vt homo in actu ſecundo aliquid faciat. Hinc deprehendes falſam eſſe, & omnino menti D. Th. repugnantem, interpretationem Suares, in opuſc. lib. 1. cap. 10. vbi ait, quod Diuus Thomas loquitur de motione cooperatiua. Sic enim loquitur. Vbi non ſolùm Diuus Thomas ait ſemper ita euenire; ſed impoſſibile eſt aliter contingere, quod veriſſimè dixit: nam locutus eſt de motione cooperatiua, quæ facta compoſitione, includit actum ipſum. Hæc ille. Vult igitur dicere Diuus Thomas (ſecundum huius expoſitionem) quod quando liberum arbitrium reddit illud auxilium præueniens, efficax, per ſuam propriam determinationem, illud idem auxilium cooperatur: quando itaque cooperatur Deus cum libero arbitrio, impoſſibile eſt liberum arbitrium non cooperari. Ideo eſt impoſſibile &c. Imò ego adderem quod implicat in adiecto dicere Deum cooperari, & liberum arbitrium non moueri: ſed

Digitized by Google

hoc non prouenit ex intentione Dei particulariter determinantis aliquem ad volendum,ſed ex parte liberi arbitrij quod gratiam operantem conſentiendo, facit cooperantem. Vnde ſi huius interpretatio eſſet vera, ſequeretur Diuum Thomam ſatis impropriè locutum fuiſſe: proprius enim locutus fuiſſet ſi dixiſſet quando homo conſentit gratiæ & determinat ſe in bonum, impoſſibile eſt Deum non moueri. Pace igitur tanti viri firmiter credo, illam non eſſe intentionem Diui Thomæ, qui aliquod reconditum nos voluit docere miſterium, ex eo quod dicit rem non ſemper ita euenire, ſed aliquando, non omnibus in communi, ſed aliquibus in particulari. Illa autem interpretatio Suares non patitur has conditiones, & particularitates. Nam vniuerſaliter verum eſt Deum ſemper cooperari cum cauſis ſecundis operantibus ipſis.

Relinquāt igitur quæſo nobis doctorem noſtrum, qui clarè ſatis locutus eſt, vt omnes eius diſcipuli ipſum interpretantur, quibus ſolùm Angelici doctoris doctrinæ myſteria noſcere,

& ſcrutari datum eſt. Hanc etiam concluſionem tenet pater Sotto lib. 1. de natura & gratia cap. 16. Medina prima 2. quæſtione 109. art. 10. pater Bannes prima parte quæſtione 23. art. 3. & Cumel in eodem loco. Et eſt concluſio certiſſima apud illos, quòd ad omnem conſenſum ſupernaturalem bonum, non tantùm auxilium efficax concomitans concurrit (quod eſt idem re cum operante) ſed etiam auxilium efficax ſupernaturale præmouens liberum arbitriũ, & voluntatem ad actum liberum, quod auxilium eſt concurſus in cauſam, & in liberum arbitrium, antecedenter ſe habens ad bonum eius vſum, & à pleriſque dicitur auxilium prædeterminans actum voluntatis liberum. Sed quoniam prædeterminatio videtur opponi libertati, idcirco illud auxilium efficax antecedens & præmouens voluntatem, multò melius appellabitur antecedens, & præmouens efficaciter ad conſenſum, & conuerſionem, quàm prædeterminans, ſi per concurſum prædeterminantem, intelligas neceſſitatem aut qualitatem aliquam deſtruentem libertatem vt intellexit Diuus Damaſ-

Digitized by Google

cenus libro I. fidei Orthodoxæ capite 3. cùm dixit Deum omnia præſcire; ſed non omnia prædeterminare.

Tota igitur in eo poſita eſt quæſtio quod ipſi & ſi concedant auxilium efficax, hoc tamen volunt non eſſe aliud à ſufficienti. Nos autem credimus quod ſit realiter ab illo diſtinctum, & quod ſolis prædeſtinatis Deus de facto confert.

Tertiò conuenimus in hoc, quod iſtam vocationem efficacem Deus nulli dare tenetur, ſed quibus dat miſericorditer dari volumus, etſi aliquibus abſque iniuria neget; ſed punctum difficultatis eſt, Quia nos Phyſicè eum trahere hoc auxilio, eos quibus miſericorditer illud confert; quia ita trahit quos trahit, ſicut cauſa Phyſica ſolet producere effectum per veram, & realem actionem; atque adeo iſta motio talis eſt naturæ, vt faciat voluntatem conſentire in actu, & non ſolum vt voluntas poſſit velle; ſed etiam vt determinatè velit id (licet libere) ad quod per tale auxilium mouetur, quod auxilium ita tenemus eſſe neceſſarium ad

ſupernaturalem conſenſum, vt ſine illo impoſſibile ſit, voluntatem actum ſupernaturalem efficere; & hinc deducimus hoc auxilium ſe habere antecedenter ad actum ex ipſa voluntate eliciendum; vnde prioritate naturæ prius intelligendum eſt auxiliũ mouere quàm voluntatem moueri: Aduerſarij autem tenent quod hæc vocatio efficax eſt moralis ſcilicet per inſpirationes, conſilia interna, exhortationes, per oſtenſionem obiecti declarando, & exponendo rationes illius, & conditiones, vtilitatem, dignitatem & pulchritudinem: & vocant iſtam determinationem moralem, quia non Phyſicè voluntatem immutat & determinat; nam ſola voluntas huiuſmodi perſuaſionibus electa, & inclinata ſemetipſam determinat, & hic eſt modus proportionatus naturæ voluntatis (aiunt) vt ipſa applicet, & determinet Phyſicè ſemet ipſam ad operandum. Et ex hoc deducunt huius auxilij efficacitatem non ſe habere antecedenter, ſed concomitãter non præmouere, ſed mouere ipſam voluntatem. Si dicas, ſi hæc gratia eſt efficax, quomodo mouet moraliter? Statim

Digitized by Google

reſpondent, quòd Deus obſeruat occaſiones oportunas, in quibus certo ſcit, ſuum auxilium fore efficax .j. aſſequuturum effectum. Quatuor igitur videnda ſunt in hac quæſtione.

Primum, Num auxilium efficax ſit neceſſarium, & Num eo poſito, poſſit ſaluari libertas.

Secundum, Num moueat Phyſicè, vel moraliter.

Tertium, Num ſe habeat antecedenter, an concomitanter.

Quartum, An æquali auxilio vnus damnari, alter vero ſaluari poſſit.

Digitized by Google

CONCLVSIO PRIMA.

Auxilium efficax eſt neceſſarium ſimpliciter ad actum ſupernaturalem eliciendum, cuius natura talis eſt, vt nullomodo deſtruat libertatem.

HANC concluſionem probo primò (quantum ad primam partem) ſic. Inter hominē ſupernaturaliter operantem, & alterum, qui minimè operatur, eſt quædam diſcretio ſupernaturalis: ergo talis homo bene operans, per aliquid ſupernaturale ab altero diſcernitur: ergo per aliquid ipſius Dei ſe tenentis, iuxta illud Pauli, Corinthiorū

Qui aliquod opus ſupernaturale agit habet aliquid, non, qui non operatur, caret.

Digitized by Google

4. Quis te diſcernit ô homo. Loquens enim Diuus Paulus viro probo, non debere ipſum gloriari, quia illud non habet à ſeipſo, ſed à Deo, qui diſcernit bonos à malis, ait non ex operibus, ne quis glorietur. Tunc peto, vel illud ſupernaturale eſt auxilium ſufficiens, vel aliud, non ſufficiẽs, quia hoc æquale eſt in omnibus, imò (vt aduerſarij fatentur) in genere auxiliorum ſufficientiũ, aliquando maiora Deus confert iis, qui de facto non conuertuntur: ergo eſt aliud à ſufficienti; ſed homo operans habet iam auxilium efficax, vt ipſi etiã fatentur, ergo homo operans ſupernaturaliter habet aliquod auxilium efficax diſtinctum à ſufficienti, quod qui non operatur minimè habet. Hæc ratio ſeu demonſtratio potiſſima eſt apud me quæ maxime aduerſarios torquet.

Nam Molina 1. p. q. 23. art. 5. mem. 6. ſic conatur ſoluere, aiens. Ad tertiam ſicut ad primam obiectionem diſtinguendum eſt conſequens: ſi enim intelligantur ſequi dari in iuſtificatis aliquid, hoc eſt, actionem aliquam, aut rem, vel rationem formalem ſupernaturalem, quæ ita ſit ab eis, vt ſimul ac

præcipuè

præcipue non ſit à Deo, per quam diſcernantur à non iuſtificatis, eoſque ſuperent, neganda eſt conſequutio: nihil enim tale ſequitur eſſe in eis, fatemurque quicquid eiuſmodi in eis cernitur totum eſſe ſupernaturale Dei donum, ſiue cooperantibus ipſis ad illud per ſuum arbitrium, ſiue non: eaque ratione merito ait Paulus: Quis te diſcernit? tanquam auctor videlicet præcipuáque cauſa donorum quibus alios ſuperas, ab eiſque differs? Vnde protinus ſubiungit: Quid habes, quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis? Si vero conſequens intelligatur, ſequi dari in iuſtificatis aliquid ſupernaturale, quod non ſimpliciter, ſed vt præciſè emanat à libero arbitrio tanquam à parte integræ cauſæ, ſpectatúmque eo modo rationem habet concurſus liberi arbitrij, ſit ab ipſo libero arbitrio in eoque diſcernatur iuſtificatus à non iuſtificato, ſeu potius in effectu ipſo ſupernaturali, ſpectato ſimiliter, vt præciſè emanat à libero arbitrio, & vt in poteſtate arbitrij eſt conſentire tunc aut non conſentire, vt Trident. Conc. definit teſtatúrque

Q

Digitized by Google

Iuſtificatus diſcernitur à non iuſtificato.

experientia interna cuiuſque noſtrum; concedenda eſt conſequutio, neque id negare intendit Paulus, neque ab aliquo, ſalua fide Catholica, negari poteſt. Ea enim de cauſa qui iuſtificatur, & qui poſt acceptam iuſtitiam cooperatur cum gratia; meretúrque incrementum illius, dignus eſt laude, honorificandúſque eſt à patre cæleſti in ſempiterna beatitudine.

Profecto neſcio an hæc reſponſio aſſignata ſit, vt ſoluat vim, an vt det occaſionem, rationem confirmandi: Nam vult dicere iſte doctor, quod iuſtificatus, nullomodo poteſt gloriari, quia nihil habet à ſua natura, per quod diſcernatur à non iuſtificato, quia quodcunque facit, ſemper vt informatus gratia; & ſupernaturaliter motus, facit, verbi gratia, ponamus caſum quòd Petrus habuerit tantam gratiam, quantam Iudas, qua nihilominus Petrus ſaluatus, Iudas vero damnatus eſt, Petrus non habet vnde glorietur: quia etſi per ſuum conſenſum iuſtificatus ſit, tamen hic conſenſus à gratia eſt, ideo hæc eſt, quæ ipſum diſcernit à Iuda, & hoc voluit dicere Suares in

Digitized by Google

opuſ. lib.3. cap.20. aiens. Eſt enim Deus qui diſcernit ſub aliqua ratione ſolus, ſub alia vero principaliter, non tamen ſolus. Primò enim in ordine intentionis ſeu prædeſtinationis, ſolus Deus diſcernit, quia ſola gratuita voluntate, decreuit hunc ſaluare, vel fidelem facere, aut ſanctum. Deinde in genere cauſæ præuenientis, & moraliter inducentis, ac perſuadentis; Solus etiam Deus diſcernit, ſicut ipſe ſolus facit, vt velimus: quia ſolus ipſe præuenit, & excitat volūtatem, & eum qui conuertit ita ſuadet, vt perſuadeat, ratione cuius dicitur non ſolùm poſſe dare velle, ſed etiam ipſum velle, cùm tamē ei, qui non conuertitur, ſolùm det poſſe velle. At vero in genere cauſæ exſequentis, ſeu Phyſicè facientis ipſam diſcretionem, ſeu diuerſitatem vnius ab alio, ſic licet Deus etiam ſit qui principaliter diſcernit, non tamen ſolus nec ſine homine, & hoc ſenſu æquè certum eſt, hominem credentem voluntate ſua diſcerni à non credente. Hæc ille.

Ego nunquam dubitaui, neque Paulus hoc neſciebat ſcilicet iuſtificatum

Digitized by Google

habere actum quendam vitalem, per quem ab alio diſcernitur: nam vnus præbet conſenſum, alter vero nequaquam, neque Paulus ait quid te diſcernit, ſed quis. ſed inquirebam, vnde, ſeu à quo habuit Petrus vt conſentiret, & Iudas nequaquam, ſi dicant ab ipſa voluntate (quod tenentur dicere, cum dicant hominem ſeipſum in bonum ſupernaturale determinare) tunc habebo intentum ſcilicet per aliquid proprium alterum, ab altero diſcerni. Si dicant à gratia, Peto hæc gratia æqualis eſt in ambobus, vnde habet Petrus quod per ipſam bene operatur, alter vero non, Nec fugiant ad gratiam (quæſo) quia hæc æqualis eſt in omnibus: Vnde miror quomodo Suares dicat gratiam excitantem non ſolum dare poſſe velle, ſed ipſum velle, cùm tamen ei, qui non conuertitur det ſolum poſſe velle: cùm enim æqualis gratia ſit in duobus, vnde prouenit quod vni det poſſe, alteri vero det velle: Profecto non eſt imaginandum, quod hoc proueniat ex parte auxilij quod æquale ponimus, ergo ex parte liberi arbitrij:

Si gratia eſt æqualis, igitur ipſa non diſcernuntur boni à reprobis.

Digitized by Google

volo enim quod qui iuſtificatur nullo-modo poſſit gloriari : nam producit actum ſupernaturalem, qui neceſſario eſt à gratia; ſed poterit gloriari in hoc, quod dedit gratiæ vt ſit gratia, alter vero nequaquam.

Fonſeca in 6. quæſtione 5. ſectione 13. his argumentis conuictus vt puto, aliter exiſtimat ſoluere nodum huius difficultatis, nam ſic ait: Ad ſextum quoque ex dictis reſpondendum eſt, nullum eſſe auxilium ſupernaturale præueniẽs voluntatem ad liberum conſenſum, quod ex ipſa vocationis ſubſtantia, & natura ſit efficax, detrectarique non poſſit, vt in ſacra Synodo Tridentina cernitur; ſed illud idem præueniens quod naturæ ſuæ ſufficiens vt vocatus conſenſum ſupernaturalem præbeat, eſſe efficax in his qui vocationi diuinæ conſentiunt, non quia præſtitus conſenſus faciat illud efficax, ſed quia iam ante conſenſum eſt efficax, non ex natura ſua, ſed ex diuina applicatione, quia nimirum eo tempore in iiſque occaſionibus adhibetur in quibus præſcitur effectum habiturum. Vult itaque iſte doctor quod hoc auxilium efficax

Auxilium ante conſenſum eſt efficax.

Digitized by Google

ex ſua natura non eſt efficax, alioquin deſtrueretur libertas. Neque redditur efficax à libero arbitrio, Alioquin haberet homo, vnde glorietur, & per quid ab alio diſcernatur, nam cùm gratia det poſſe, homo autem per ſuum conſenſum actu vult, ſequitur quòd principalior ſuæ ſalutis cauſa eſſet ſuus conſenſus; ſed iſta diſcretio tota eſt ab illa congrua applicatione: vnde iuſtificatus non habet, per quid diſcernatur à non iuſtificato, nam quod iuſtificatus ſit, habet ex eo quod Deus in bona occaſione ipſum præuenit. Sed hæc reſponſio non minorem continet difficultatem, quàm prima: non enim ſatis explicat auxilium præueniens, reddi efficax ex tali, & tali applicatione: velim enim ſcire ſub verbis clariſſimis, Num illa applicatio in tali ſcilicet occaſione, ſit talis naturæ, vt faciat auxilium inefficax, eſſe efficax, quod poſitum in libero arbitrio, efficit ipſum efficaciter velle: & profectò ridiculum eſt, ſi hoc ipſi intendunt, nam quid refert, Num illud auxilium ſit ſua natura efficax, & num reddatur efficax ex applicatione? remanet enim ſemper verum dicere, quod

Hæc opinio non ſatis explicat difficultatem.

Digitized by Google

ponitur in libero arbitrio, tanquam efficax: dicerem enim potius à Deo tale creari, quàm quod tale ab occaſione fieri. Sed ſi ita intelligant, ſcilicet non eſſe applicationem, quæ reddit auxilium ſufficiens efficax; ſed ſolum auxilium illud ſufficiens in tali occaſione ex ſeipſo reddi efficax, hoc eſſet contra aduerſarios, qui dicunt quòd homo poſitus in quacũque occaſione ſemper manet liber, ſempérque reiicere poteſt illud auxilium, etiã in ſenſu diuiſo, quòd natura talis auxili: in talia occaſione nõ pateretur. Si dicant, quòd quando applicatur in tali occaſione liberum arbitrium, reddit illud efficax, iam habeo intentum, & ſic iuſtificatus poterit gloriari, quòd ſuo arbitrio fecit motionem Dei efficacem.

Sed ego benè ſcio, quam habent in promptu reſponſionem, quam ex parte omnium affert Molina 1. p. q. 23 art. 5. memb. 6. aiens ſic. Quando audis conſenſum noſtrum efficacia reddere auxilia gratiæ; non ita id intelligas, quaſi arbitrium noſtrum vim aliquam, aut efficacitatẽ tribuat auxiliis ipſis; ſed potius auxilia, vim, & propenſionem arbitrio

Digitized by Google

tribuunt ad conſenſum eliciendũ, arbitriũ ipſum ad id inuitando, alliciẽdo atq; adiuuando: ſed vt ex antecedẽtibus hoc loco, & ex dictis locis citatis, & aliàs ſæpe conſtat, in hoc ſenſu id dicimus: Quòd cum auxilium eſſe efficax non aliud ſit, quam monitione, & inuitatione ſua, quam naturæ neceſſitate, quatenus gratia præueniens eſt, habet permouere arbitrium ad conſenſum ſeu cooperationem ſecum ad contritionem aut actum alium ad quem præueniens gratia inuitat, permanere autem arbitrium, vt conſentiat ſeu cooperetur cum gratia præueniente ad contritionem ab innata arbitrij libertate pẽdeat, qua talem conſenſum & cooperationẽ elicere vult, aut non vult, vtique quod auxilium gratiæ præuenientis efficax ſit, hoc eſt, effectum illud habeat, ad quem arbitrium inuitat, ab ipſo arbitrio libere conſentiente & cooperante ſecũ, pendet tanquã à parte cauſæ quæ ſecum producere debet talem effectũ, comparatione cuius, ſi producatur, dicitur auxiliũ efficax, ſi vero nõ producatur, quia arbitriũ non vult cõſentire, & cooperari, dicitur inefficax. Quo fit vt arbitriũ

Digitized by Google

prius natura motũ & excitatum per auxiliũ gratiæ præuenientis conſentire libere, & cooperari cum eodem auxilio, non ſit efficacitatem illi tribuere, ſed adhibere conditionem ſine qua, tale auxilium non habebit rationem efficacis. *Conſenſus eſt conditio ſine qua nõ eſſet efficax Dei auxilium.*

Hæc reſponſio vel falſiſſima eſt, vel non attingit noſtram difficultatem, quòd ſit falſa, Ita probo. Nam ait; quòd conſenſus voluntatis non eſt qui facit ſeu tribuit gratiæ efficacitatem, ſed eſt conditio, ſine qua non. ergo conſenſus præceſſit efficacitatem gratiæ, Ergo cõſenſus non eget gratiæ efficacitate, quia iam conſenſus eſt. Profecto non eſt intelligibilis conſenſus in ratione conditionis neceſſariæ vt auxilium conſtituatur in eſſe efficacis, & quòd illa conditio illam efficacitatem non præcedat, ſaltem ordine naturæ, & vtar exemplo illo accommodatiſſimo, quod aduerſarij ſæpe ſæpius in ore habent, ſ. de igne & de ſtuppa, quam nũquam ignis combureret, niſi prius approximetur, ſcio enim, ſtuppam nullam tribuere igni efficacitatem, vt comburat, quia ignis de ſe ſatis ſufficiens eſt ad comburendum, ſed puto eſſe neceſſarium præintelligere ap-

Digitized by Google

proximationem, quàm concipere, combuſtum eſſe. Sic etiam ſi verum eſſet, quòd conſenſus eſſet conditio neceſſario requiſita ad reddendum auxilium efficax, ſemper erit verum dicere, auxilium ſufficiens nunquam intelligitur eſſe efficax, niſi prius intelligatur conſenſus, qui vel ſit forma dans eſſe, vel conditio, ſine qua non, non curo, vtrobique enim eadem eſt ratio, quantum ad hoc vt reddat illud efficax, & ſic homo conſentiret auxilio, quod nondum erat efficax. Immo ſi hoc eſſet verum, auxilium ſufficiens natura ſua eſſet, efficax, conſecutio: prob. quia conſenſus requiritur vt conditio.

Aliud eſt loqui de efficacitate auxilij ſecundum ſuam naturam, & aliud ſecundum ſuam operationem.

Quòd verò hæc reſponſio non attingat punctum difficultatis, & ſatis confuſè loquatur, Probatur ſic, Quia confundit efficacitatem gratiæ, quantum ad ſuum eſſe, in quantum talis à Deo creatur, & quantum ad eius finem, ſiue effectum, ſeu operationem: nam ſicut eſſe rei non eſt eius operari vt vult omnis ſchola Peripatetica, ſequitur neceſſario alio modo loquendum eſſe de hac gratia, quantū ad eius naturam, & quantum ad eius operationē. Hinc valde de-

Digitized by Google

cipiuntur aduerſarij, qui more eorum confusè, & indiſtinctè loquentes, aiunt, vtique quòd auxilium gratię prçueniẽs, efficax ſit, hoc eſt, effectum habeat. Nos enim fatemur huius auxilij efficacitatem, quantum ad finem, & ſuum effectum, dependere eſſentialiter à libero arbitrio, non ſolùm vt cõditione neceſſaria; ſed etiam vt cauſa totali in genere cauſæ conſentiẽtis: ſicut enim ſol & homo, ſunt duæ cauſæ generationis hominis in genere cauſæ totalis, Ita iuſtificatio dependet eſſentialiter ab iſtis duabus cauſis totalibus, ſcilicet mouere efficaciter, & conſentire liberè, & mouere efficaciter reſpectu iuſtificationis dependet eſſentialiter à conſentire liberè. Quis enim dubitat caſſum reddi auxilium Dei efficax arbitrio hominis renuentem? Quis dubitat liberũ noſtrum arbitrium cum ipſo auxilio efficaci concurrere non tanquam inſtrumẽtũ mortuũ, ſed viuũ? Hoc quod innuere voluit conciliũ, liberũ noſtrũ arbitriũ motum & excitatũ à Deo poſſe illi diſſentire. Equidẽ ſi quãtum ad effectũ, & operationẽ liberum arbitriũ poteſt illi reſiſtere; nulli dubiũ eſt, quin ab eodẽ libero arbi-

trio dependeat quantum ad hoc. ſ. efficaciter obtinere iuſtificationẽ quemadmodum & ſol neceſſario dependet ab actione hominis, quantum ad hoc quod eſt habere hominem genitum.

Sed difficultas eſt. Num natura ipſius auxilij ſit talis vt ſit efficax, ita vt quantum ad eſſe ſuum à nullo dependeat, in hoc, quod eſt mouere efficaciter. Si dicant quod natura illius auxilij eſt efficax taléque creatur à Deo, tunc ſequitur neceſſario quod vbi ponetur, ſemper ita mouebit aliam cauſam ad operandum, vt ſemper & infalibiliter aſſequetur ſuum effectum, ſi non eſt talis naturæ ſecundum ſuum eſſe, ergo talis efficacitas non poteſt illi aduenire ex conſenſu voluntatis, quia voluntas dat efficacitatem effectui, & non efficacitatem rei; ergo hæc propoſitio ſemper erit vera, homo iuſtificatus eſt auxilio quod natura ſua eſt inefficax. Si dicant quod eſt talis naturæ quod efficax vel inefficax naturaliter erit, quando illi voluntas, vel cõſentiet, vel diſſentiet; tunc habebo intentum quod ſ. homo iuſtificatus diſcernitur ab altero non iuſtificato per aliquid ſibi proprium ſ. per cõ-

ſenſum, quo conuerſus eſt; quia per illum conſenſum gratia reddita eſt efficax. Non igitur ſe habet gratia ſicut ſol qui illuminabit domum ſi aperietur feneſtra, ſed ſicut artifex quod applicat inſtrumentum ad agendum, quod munus eſt ſolius auxilij efficacis.

Secundo idem probatur efficaciſſimè ex doctrina D. Thomæ 1. p. q. 105. art. 4. vbi docet de natura cuiuſque boni eſſe mouere & allicere voluntatem ad ipſum, ſed inter bonum ſupernaturale & reliqua, reperiri aliquam differentiã in hoc, quod eſt mouere voluntatem, quia ſ. præter illam motionem metaphoricam, qua allicit voluntatem in bonum, mouet & determinat voluntatem efficaciter ad illud: Sic enim ait. Poteſt autem voluntas moueri ſicut ab obiecto à quocunque bono, non autem ſufficiẽter & efficaciter, niſi à Deo. Iam vides quomodo D. Thomas tenet, prçter ſufficientem, requiri adhuc efficacem motionem, quæ non eſt ab ipſa voluntate, per ſeipſam in bonum ſe determinante, ſed à Deo. & in fine corporis ſic ait. Vtroque autem modo proprium eſt Dei mouere voluntatem, ſed maximè ſecũ-

Digitized by Google

Deo proprium eſt interius inclinare voluntatem.

do modo, interius eam inclinando. Hęc ille: Et art. 5. in reſponſione ad 3. ait. Ad tertium dicendum, quòd Deus non ſolùm dat formas rebus; ſed etiam conſeruat eas in eſſe, & applicat eas ad agendum, & eſt finis omnium actionum. Sed precor quid eſt non ſolum mouere, ſed etiam inclinare? non ſolùm dare eis vt poſſint agere, ſed etiam applicare eas ad agendum? Applicare & inclinare ad agendum, non eſt inuitare, non eſt allicere vt agant, non ſolùm vt poſſint facere, ſed vt faciant: nam ſi omnium applicaret voluntas in bonum, omnes bene operarentur, ſicut ſi ſecans applicaret omnes ſeras ad ſcindendum, profectò omnes ſcinderent. Hinc aiebat doctiſſimus Caietanus ſuper eundem articulum, quòd inclinare non eſt allicere, ſed efficaciter ducere voluntatem in actum ſecundum. Et inclinare ad volendum nihil aliud eſt, quàm dare velle, quod non eſt, niſi per auxilium efficax: nam ſufficiens dat tantùm poſſe. Et hæc etiam eſt mens expreſſa ſancti doctoris q. de potentia art. 7. ad 7. vbi expreſsè docet, hoc quod additur cauſæ ſecũdæ, ex in fluxu primæ eſſe virtutem quandam intentio-

nalem,quę eſt veluti inſtrumentalis virtus,quæ illam complet ad agendum. Et hoc voluit dicere Paulus, Deum dare nobis non ſolum velle, ſed etiam perficere. Suares in opuſ. lib.1. cap.2. Hunc diſcurſum labefactare volens, tria dicit. Primum. Quod D. Thomas nunquam dixit Deum applicare voluntatem, ſed quaſi applicare, ſic enim loquitur. Et in tertio modo notanda eſt illa particula (quaſi) quæ videtur eſſe conditio diminuens,non enim dicit ſimpliciter applicans,ſed quaſi applicãs, & rationem huius applicationis dicit, primam cauſam mouere ſecundam ad agendum, & ſecundam agere in virtute primæ. Hæc ille. Et paulò inferius ait, ergo per illam applicationem nihil aliud potuit D. Thomas intelligere,niſi concurſum illum, quem aliis locis auxilium Dei mouentis vocauit,& ob eandem potuit vocare hanc motionem quaſi applicationem,vt nimirum ſignificaret hunc concurſum,licet ſit per modum ſimultaneę coöperationis tamen à prima cauſa dari vt à ſuperiori.

Suares facit vim ſuper'y, quaſi.

Secundo ait Diuum Thomam retractaſſe id quod dixerat in quæſtionibus

de potentia; ſic enim loquitur. Ex quo mihi fit valde credibile, tacite diuum Thomam retractaſſe, quod in quæſtione illa, de potentia dixerat. Ex quo loco in primis colligo (ait) apud diuum Thomam aliud ſignificari per illam applicationem, aliud per impreſſionem virtutis, nam expreſsè hos modos illo loco diſtinxit, vnde vel dicendum eſt cauſam primam duas res imprimere ſecundæ, vnam ad applicandam illam, aliam vt illi det virtutem inſtrumentalem, quod eſt plane abſurdum, vel fatendum eſt per illam applicationem nihil imprimi cauſæ 2. quod intendimus.

Duplex applicatio, altera prævia altera cooperans.

Tertio ait, duplex applicatio cauſę ad agendum diſtingui poteſt. Vna eſt prævia ad actionem, tanquam conditio requiſita, Quæ non habet locum in præſenti. nam (vt dixi) loquimur de cauſa ſecunda habente iam omnem diſpoſitionem intrinſecam permanentem, neceſſariam ad agendum, & materiam ſiue paſſum ſiue obiectum ſufficienter applicatum, & propoſitum, quam applicationem ſupponimus factam eſſe, & conſeruatam à Deo, vel per ſe, vel concurrente cùm aliqua cauſa ſecunda. Cauſa autem

Digitized by Google

tem ſecunda iam ſic propoſita & applicata non indiget noua applicatione per nouum influxum ſolius primæ cauſæ, vt in ſuperioribus latè probatum eſt. Alia ergo poteſt intelligi applicatio formalis, quæ ipſamet actione fit: quomodo poteſt quis dici applicari ad opus, dum operatur, & volũtas applicari ad amandũ, dũ amat, quæ applicatio nõ eſt aliud ab ipſo amore, vel alia ſimili actione: ſed applicatio vocari poteſt, quia dum agẽs operari incipit, coniungitur quodãmodo actioni ſuæ, vel per illam cõiungitur materię, circa quam operatur. Et hęc applicatio ita fit à cauſa ſecunda, ſicut & ipſa actio, & eodem modo fit à cauſa prima, non ſola, nec per actionem præuiam, ſed cum ipſa cauſa ſecunda, & per concurſum concomitantem, quo cum illa concurrit. Hoc ergo modo verè dicitur cauſa ſecunda applicari ad agendum, à cauſa prima, non ſola, ſed concurrente cum ipſa ſe applicante.

Sed vt quam ſint friuolæ interpretationes cognoſcere poſſis, Aduerte Thomiſta, apud diuum Thomam pro eodem haberi, inclinare, applicare, complere ad agendum, & mouere vo- *Applicare, non bene applicatur voluntati.*

luntatem ad aliquid determinatè volẽdum; licet ly applicaret, ex vi vocabuli, non benè applicetur voluntati; quia eſt verbũ quaſi materiale, ea enim applicamus obiectis, quæ nullam habent ex ſe operationem,& ſic propriè inſtrumenta materialia applicamus,ſicut ſolemus applicare papyro calamũ &c. Et hinc prouenit quod hoc verbum applicare,nunquã in ſcripturis applicatur volũtati: Inuenitur enim, inclina cor meum Deus in teſtimonia tua, quia inclinatio propriè,eſt voluntatis,nõ enim inclinat homo ſeram, ligno. Reperitur tamen aliqua proportio, nam ſicut artifex applicat ſeram ad ſcindendum .1. facit vt actu 2. ſecet. ita Deus quando ſuis electis per ſpeciale auxilium mouet ad actum ſecundum 1. facit vt actu 2. operentur actum ſupernaturalem, dicitur quaſi applicare voluntatẽ. Vnde,ly quaſi,nõ minuit rationem applicationis,ſed rationẽ materialitatis, quæ inuenitur in re, quæ applicatur. Hoc quod ſæpiſſimè cecinit D.Thomas, voluntatem moueri à Deo, non vt inſtrumentum mortuum,ſed viuũ & cooperans. Sed ſi Suares faciat totam vim in ly quaſi, legat quæſo in re-

ſponſione ad 3. eiuſdem articuli, vbi ſic loquitur doctor ſanctiſſimus. Ad 3. dicẽdum quod Deus non ſolum dat formas rebus, ſed etiam conſeruat eas in eſſe, & applicat eas ad agendum (ecce quomodo non appoſuit ly quaſi, quia ſuperius loquebatur de eo quod poterat accidere applicationi: Hic vero loquitur de proprietate veræ applicationis.) Et videbit ſolutam ſuam interpretationem. Nec video in quonam loco fuerit retractatus; nam quid eſt complere aliquid ad agendum, quàm inclinare, quàm applicare illud? Ex eo igitur quod in de potentia, dixerit ſecundæ cauſæ addi inſtrumentalem quandam virtutem, quæ illam complet ad agendum, ſequitur neceſſario ergo ipſam applicat: ergo ipſam inclinat, ergo efficaciter ipſam mouet ad aliquid determinatè volendum: Non ſunt igitur oppoſita iſta; ſed ad inuicem conſequentia.

Ad id vero quod ait, certum eſſe aliud ſignificari per impreſſionem auxilii, & aliud per applicationem, volo: concedo inſuper illi non imprimi duas res cauſæ ſecundæ, quia per applicationem nihil imprimitur voluntati, nam colla-

Impreſsio & applitio idem prorſus ſignificant.

tio auxilij in voluntate dicitur impreſſio; ſed quia imprimitur vt coniungat dulciter voluntatem cum operatione: Ideo dicitur etiam voluntatem applicare, ſed diſtinxit diuus Thomas impreſſionem ab applicatione, non quia aliud, & aliud importent ex parte Dei quantũ ad rem, quia impreſſio & applicatio important auxilium efficax, ſed quia nõ vno modo, immò diuerſimodè nam applicare dicit coniunctionem rei cum operatione, impreſſio vero coniunctionem qualitatis cum potentia quæ operatur, quæ antecedit illam applicationem; ideo idem auxilium hæc duo diuerſimode importat. Deniq; falſam iudico illam diſtinctionem applicationis in antecedentem, & formalem, quia implicat applicationem eſſe cooperationem, nã cooperatio eſt effectus applicationis; Ideo enim aliquis operatur quia applicauit ſe ad operandum; & cùm dicimus nos applicari alicui operi, illa applicatio non cadit ſupra illam operationem, ſed ſupra decretum voluntatis, quo voluntas decreuit aliquid agere, & certò alicui operi coniungi, & ſicut ſtultiſſimus eſſet, qui actui ſecundo coniun-

Digitized by Google

ctus dixerit ſe applicari ad illum, cùm iam applicatus ſit; Ita etiam ſtultiſſimũ iudico dicere, Deum applicare voluntatem ad agendum, quando iam applicata eſt per ſeipſam. Et ſi verum eſt, applicationem tunc dici antecedentem, quando eſt conditio requiſita ad agendum, profectò cùm conſenſus arbitrij ſit conditio neceſſaria, vt auxilium ſufficiens reddatur efficax, quemadmodũ ipſi docẽt, ſequitur euidentiſſimè illam arbitrij applicationẽ ad bonũ, eſſe antecedẽtem ad efficacitatem auxilij, & ſic homo antecedenter conſentiret, nulla gratia efficaci exiſtente in illo conſenſu, quod aduerſarij perpetuò negãt. Quod vero ait hanc antecedentẽ applicationẽ nõ opus eſſe, quia præſupponimus cauſã habere omne id, quod illi neceſſarium eſt ad agendũ. Dico iſtũ religioſum petere principium; quia in via noſtra, cauſa nunquã eſt perfectè, & vltimò diſpoſita, vt exeat in actũ ſecũdum, niſi per impreſſionem auxilij efficacis applicetur ad opus: Auxilium enim ſufficiens dat tantum poſſe, & conſtituit potentiam perfectam in actu primo, non autem in actu ſecundo.

De hoc libro ſecundo concluſione Tertia erit ſermo.

Sed hinc inſurgunt aduerſarij, Alij ir-

ridentes, Alij ſpernentes, omnes deniq; vna impugnātes hanc doctrinam, quam puto diuo Thomæ à ſpiritu ſancto, fuiſſe reuelatam. Fonſeca namque in ſexto q. 5. ſect. 9. ſic ait. Dicimus ergo omnia diuina auxilia, quę vocatis conferuntur, eſſe natura ſua ſufficientia, nō ſolùm vt illi venire poſſint: ſed etiam vt veniant. Ridiculum enim eſt aſſerere, eſſe illa natura ſua ſufficiētia, vt venire poſſint, nō tamen, vt veniāt, cùm potētiæ ab actibus ſuis naturam, & diſtinctionem accipiāt: eos autem qui huiuſmodi auxiliis adiuti, non veniunt, ſibi tribuere debere non auxiliorum naturæ, aut vocanti, eaque conferenti quod non veniant, vt Auguſtinus ſuperius dixit.

Ridiculum eſt dicere, auxilia ſufficientia dare poſſe, non autem conuerti.

Suares etiam in opuſ. lib. 3. cap. 8. ſic ait. Quod ergo huiuſmodi auxiliū efficax, nō poſſit eſſe neceſſarium ad cōſenſum liberū, & ſupernaturalē præſtandū, probatur oſtēſiue, Quia auxilium quod dicitur ſufficiens, eſt verè & realiter ad hoc ſufficiens, ſi diuinum arbitriū, cum diuina gratia cooperari velit: ergo aliud non eſt ſimpliciter neceſſarium. Vel è contrario ſi huiuſmodi auxilium hoc ſenſu efficax phyſicè, & ex ſe noſtram

Digitized by Google

voluntatem prædeterminans, ſit ſimpliciter neceſſarium ad ſupernaturalem actum humanum, ſeu ad liberum cōſenſum ſupernaturalem; ſequitúr eos, qui non conuertuntur, non habere ſufficiens auxilium, vt conuertantur, ſeu vt conuerti poſſint. Atque hoc ſenſu diciamus prædictam ſententiā pugnare cum ſufficientia gratiæ, quia dum nimium vult efficaciam eius exaggerare, ſufficientiam tollit. Hanc cōſecutionem viderunt hæretici huius temporis. Vnde cum auxilium efficax conſtituant in ſimili motione ac determinatione voluntatis humanæ à diuina, conſequenter negant, relinqui auxilium ſufficiens pro his, quibus non datur auxilium efficax. Nam quomodo (inquiunt) ſufficiens eſſe poteſt, cui aliquid neceſſarium deeſt? Ita referunt Catholici auctores qui his temporibus contra eos ſcripſerunt qui eos non impugnant, eò quòd malè inferant, ſed eò quòd hæreticum dogma ex falſo principio inferant: neque putant ſe poſſe illis ſatisfacere, illationem inficiendo ſed negando efficax auxilium in ſimili motione conſiſtere,

Qui non habent auxilium efficax neque etiam habent ſufficiens.

prout infra videbimus. Probatur ergo illa conſequentia in qua tota vis noſtræ ſententiæ, quod ad hanc partem conſiſtit: quia auxilium ſufficiens includit aliquo modo quicquid eſt neceſſarium ad effectum ad quem dicitur ſufficiens; ſed auxilium datum ei qui non conuertitur, nullo modo includit motionem phyſicè, & efficaciter prædeterminantem liberum arbitrium: ergo ſi hæc præmotio phyſica eſt neceſſaria, illud auxilium non eſt ſufficiens.

Et in breui reſolutione controuerſiæ de auxilijs ſic loquitur. Neque eſt cur immoremur in impugnāda vulgari reſpōſione, qua dicere ſolent hominē ſine hoc auxilio efficaci habere auxilium ſufficiens vt poſſit non vt faciat. Huiuſmodi enim verba & in ſe repugnantiam inuoluunt, & veritates fidei quibus illa doctrina impugnatur non declarant. Quod oſtenditur primò, Quia Deus non præcipit homini vt poſſit operari, ſed vt operetur, debet ergo dare auxilium ſufficiens, non tantùm ad poſſe: ſed etiam ad operandum. Secundò, quia Deus non tantùm vult vt homo poſſit ſaluari, ſed vt ſaluus fiat, vt Paulus

Deus non præcipit homini vt poſsit ſed vt faciat.

dixit, ergo ad hoc dat auxilium ſuffici-ciẽs. Tertio, quia qui nec habet, nec habere poteſt, quæ neceſſaria ſunt ad operandum, non ſolum non habet auxiliũ vt faciat, ſed nec etiam vt poſſit moraliter, & proximè loquendo, poterit quidem habere poteſtatem aliquam remotam, & fundamẽtalem, ac Phyſicã, qualem habet viſus ad videndum, dum caret lumine, & calor ad calefaciendum, carens concurſu Dei, tamen non habebit poteſtatem proximam & expeditam ad operandum, ita vt verè dici poſſit homo, habere in manu & poteſtate ſua operationem ſupernaturalem, quam amiſit. At verò hoc neceſſarium eſt, vt homini poſſit imputari ad culpam, quod non operetur. Et ideo ſcriptura hoc modo tribuit homini poteſtatem operandi, quando dicit, relictum eſſe in manu conſilij ſui. Quocirca in eo ſenſu habere ſufficiens auxilium vt poſſit, & non vt operetur, aperta eſt repugnantia, cùm ipſum poſſe non ſit, niſi propter operationem, & tunc verè homo dicatur poſſe, quando in ſuo arbitrio, & poteſtate habet operationem. Et hoc ſenſu dixit Concilium Trid. Deum

Digitized by Google

non præcipere impoſſibile, ſed iubendo (inquit) mouet facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adiuuat, vt poſſis. Neque illa diſtinctio in aliquo ſanctorum patrum, vel antiquorum Theologorum, reperietur.

Benigne lector, iam vides aduerſariorum clamores, & quomodo ſecurè loquantur; puto igitur te contentum habiturum, cumprimum oſtẽdero hæc nomina fuiſſe expreſſa à ſanctis Patribus, & ſcholaſticis antiquioribus. Secundò, ſi omnes obiectiones, quas contra nos obiiciunt, in illos reflexero, maiorémque habere vim in eorum, quàm in noſtra ſententia.

Prima 2. q 109. art. 10. Scias igitur quòd Diuus Thomas volẽs explicare illud Apoſtoli Rom. 6. vbi ſanctus Apoſtolus loquens de beneficio incarnationis, ait. Plus reſtitum eſſe homini per donum Chriſti, quàm amiſerit peccatum Adæ, in reſponſione ad tertiũ ſic loquitur ad 3. dicendum quod ſicut Auguſtinus dicit in libro de naturæ gratia; hominem in primo ſtatu accepiſſe donũ per quod perſeuerare poſſet non autem accepiſſe & vt perſeuararet; nunc autẽ per gratiam Chriſti mul-

tos accipere & donum gratiæ quo perſeuerare poſſũt & vlterius eis dari quod perſeuerent (nota ly vlterius datur) & ſic donum Chriſti eſt maius quam delictum Adæ, & tamen facilius homo &c. Hæc ille. In quo loco doctiſſimus Conradus ait: donum Chriſti reſtituitur noſtis per duplicem gratiam, vt poſſimus perſeuerare, & etiam vt perſeueremus: Adam quidem potuit perſeuerare per donum gratiæ; ſed non accepit vt perſeueraret de facto, quod oſtendit caſus, & peccatum eius; ſed multi nunc per donum Chriſti accipiunt, & poſſe perſeuerare, & cum hoc, perſeuerantiam; quare donum Chriſti maius eſt. Hæc ille. Iam vides ex Auguſtino & Thoma & ex antiquiſſimo ſcholaſtico Deum dare aliquando vt poſſimus, non vero vt faciamus, alioquin nulla poſſet aſſignari differentia, ſeu excellentia ſtatus gratiæ ſupra ſtatum iuſtitiæ, ſeu excellentia ſtatus gratiæ ſupra ſtatum iuſtitiæ originalis, nam ſi Adam habuit vt poſſit perſeuerare quantum eſt ex parte Dei, & vtique de facto perſeueraſſet, ſi ipſe voluiſſet; Non diceret. Diuus Auguſt. Et non datus eſt illi de facto vt perſeue-

Primus homo habuit vnde perſeuerare poſſet non autem vt perſeueret.

Digitized by Google

raret, denique per gratiam Chriſti nihil aliud reſtitutum fuiſſet, quam vt poſſimus bene agere & ſic malè diceret Paulus, Plus reſtitutum eſt homini per gratiam Chriſti, imò ex hoc conficio argumentum. Adam non habuit auxilium vt de facto perſeueraret, habuit nihilominus ſufficiens, Ambæ propoſitiones ſunt de fide. Tunc deduco ſic, ergo auxilium per quod Adam habuit vt perſeuerare poſſet, non eſt illud quod illi denegatum eſt, vt de facto perſeueraret.

Nec recurrant aduerſarij ad illam congruitatem, ad illas occaſiones, ad illud tempus oportunum, quia quæſtio eſt de altero dono & non de modo in quo illud donum poterat eſſe efficax. Quid enim eſt dicere in ſtatu gratiæ dari hominibus auxilium quo poſſint perſeuerare & adhuc vlterius datur vt perſeuerent, niſi quod auxilium ſufficiens eſt aliud ab auxilio efficaci?

Si enim Adam hunc aduerſariorum diſcurſum didiciſſet, certè optime cum Deo diſputaſſet & ratione quidem ſic. Quare me expellis à paradiſo? ſi non dediſti vt, de facto vincerem diaboli

tentationes, quare me punis? cùm à te non habui vt de facto perſeuerarem? dediſti mihi poſſe, negaſti mihi factum, ſemper habui poſſe non peccaui in poſſe, non perdidi poſſe. Reſpondet Suares vbi ſupra: Auxilium datum Adæ fuiſſe ſufficiens non tantum ad poſſe, ſed etiam ad perſeuerandum ſi vellet, nam reuera ſicut non peccare, ita & perſeuerare fuit in manu & poteſtate eius: tamen quia non eſt datum ei illud auxilium eo tempore, & modo quo de facto cum illo erat perſeueraturus, quod autem Adam cum illo auxilio non fuerit perſeueraturus, non fuit quia auxilium ex ſe non eſſet ſufficiens ad perſeuerandum, nec quia aliud maius præueniens eſſet neceſſarium, ſed quia ipſe Adam ex ſuo arbitrio noluit illo auxilio cooperari. Et quidem hæc verba nequeo intelligere, vel certe littera non eſt correcta, aut ſententia oppugnantia dicit, nam ex vna parte ait, illo auxilio Adam non fuit perſeueraturus, quia ipſe ex ſuo arbitrio noluit cooperari, & ex altera ait illo auxilio Adam non erat perſeueraturus quia de facto non eſt illi datum eo tempore & modo, quo

Adamo fuit datum non ſolum poſſe, ſed etiam actũ perſeuerandi ſi vellet.

Digitized by Google

perſeueraret, velim enim ſcire libenter quiſnam ſit iſte modus, quodnam iſtud tempus, & quare dedit Adamo auxilium tempore & modo quo, illi nihil prodeſſet, fide mea ſi ad hoc argumentum reſponderint, Ego etiam illis reſpondebo, Quare auxilium ſufficiens det tantum poſſe, & quare Deus aliquibus dat tantum vt poſſint ſaluari.

Aduerſarij fugiunt ad ignorantiæ aſillum.

Credo aduerſarios æquè benè confugere ad ignorantiæ aſillum ſicut & nos, nam aiunt, quid autem ſit illa congruitas, quis ille modus vel in quo conſiſtat, remotum eſt ab hominum intellectibus, ideoque nos (ait Suares) hoc tantum reuocamus ad theſauros ſapientiæ & ſcientiæ Dei.

Ab aduerſariis igitur, qui tenent efficacitatem auxilii prouenire ex diuina applicatione, applicarique aliquando iis quos Deus ſua altitudine & comprehenſione propter talem & talem occaſionem infalibiliter conſenſuros vidit, & iis quos ſcit certo repugnaturos. Aduerſarij enim ſic loquuntur, Cum enim Deus omnes vocet vt ſancti ſint, non omnes tamen ad id vocat ſecundum propoſitum ſeu abſolutam voluntatem,

Fonſeca ſect. 14.

Digitized by Google

ſed ſi velint ipſi ſancti eſſe, iis vero quos vocat ſecundum propoſitum, eam vocationem ſic applicat, vt certus ſit, omnia ad quæ inuitātur, ſeu facilia illa ſint, ſeu laborioſa, in ſalutem illis prouentura. Quanquam enim omnia quæ ad ſubſtantiam vocationis ſpectant, aliquando ſint paria in eo qui vocatus venit, & in eo qui vocatus venire renuit, Imo vero & in eo qui non venit maior, interdum ſit mentis illuſtratio interior, maiorque affectus commōtio ad veniēdum; eo tamen ſolo quod talis vocatio in occaſione applicatur ei qui venturus eſt qua præſcitur obediturus, ei autem qui venturus non eſt in ea, qua præſcitur repugnaturus (tamet ſi alias vocari poſſet qua obeditur⁹ præſciretur) illius vocatio eſt efficax, huius autem non efficax. Peterem libenter num illi qui vocati ſunt, ſed non ſecūdum propoſitum habeant omne id, quod illis eſt neceſſarium vt poſſint in actum exire ſecundum ſi ipſi velint, ex vna parte aduerſarij tenentur dicere quod non: primò quia illa vocatio non eſt ſecundum Dei propoſitum abſolutum, ſecundo quia ſequeretur quod aliqui haberent omne

id quod illis neceſſarium eſt, vt de facto ſaluentur, hoc enim intelligunt aduerſarij per abſolutam Dei volũtatem, ideſt vult ita aliquorũ ſalutẽ non tamen vt de facto ſancti ſint, aiunt enim Deũ aliquando vocare homines tempore & occaſionibus, quibus certo ſcit eos non ſolum non conſenſuros ſed etiam repugnaturos, Dem⁹ igitur caſum quod Petrus ſemper vocetur in huiuſmodi occaſionibus, peto num ex parte Dei habeat omne id quod illi eſt neceſſarium ad ſalutem, non curando an hoc ſit ex ſubſtantia diuinorum auxiliorũ, an ex diuina applicatione vel ex alia cauſa, ſed ſolum peto num ille ex parte Dei ſit vltimò diſpoſitus, vt exeat in actum ſecundum quæcunque ſit illa diſpoſitio.

Tenentur inquam dicere quòd non: tũc iterum peto, num Petrus in illis occaſionibus vocatus poſſit ſaluari ſi velit, ſi dicant quòd ſic, ergo Petrus poteſt ſaluari Deo nolente ſaluum facere Petrum; quid eſt enim vocare aliquem in tempore quo ille præſcitur repugnaturus, niſi quod nolle ipſum vocare vt conuertatur; ſed quid crudelius & hac doctrina ignauius. Nos enim tenemus Deum

Deum omnium appetere ſalutem, licet aliquorum ſolum conditionaliter, aliquorum vero efficaciter: ex quo prouenit quòd aliquos vt faciant vocat, alios vero non, niſi ſolũ vt poſſint ista autem doctrina (& meo iudicio intolerabilis) docet Deũ, ita dulciter & occaſionibus oportunis vocare aliquos, in quibus ſcit certo illos repugnaturos: tunc ſic argumentor, Deus vocat Petrum, quem preſcit cõtradicturum, ergo Deus abſolutè non vult ſalutem Petri: an bona ſit conſequentia, diſcreretioni lectoris iudicandum relinquo.

Sed audiamus quid dicat Suares, qui lib. 3 cap. 14. ſic loquitur. Diſtinguendũ eſſe inter Dei voluntatem ordinantem, & permittentem, id eſt, inter voluntatem, qua vult, vel procurat aliquid, vel qua tantùm vult permittere, vt fiat: quo ad voluntatem autem permittentem, concedendum eſt Deum ex certa & infallibili præſcientia, velle dare auxilia gratiæ hominibus, illis modis & temporibus, quibus nouit multos homines maiori ex parte fore repugnaturos, vel obſtacula & impedimenta ſuæ gratiæ adhibituros, quod in omni ſenten-

Digitized by Google

tia fatendum eſt; nam qui hæc omnia fieri putant per Phyſicas prædeterminationes, negare non poſſunt quin Deus præſciuerit cum his prædeterminationibus, quas de facto conferre conſueuit, tot homines fore conſenſuros gratiæ, & tot repugnaturos. Quod verò ſpectat ad voluntatem ordinantem, Deus non eligit hunc modum prouidentiæ, nec obſeruauit ea tempora in quibus homines repugnaturos vocat, vt eos non ſaluet cum efficacia; id enim indignum eſt bonitate Dei. Neque hinc fit, Deum non velle, optare ſalutem eorum hominum, qui illam non ſint conſecuturi, cùm verè ac ſufficienter eis prouideat, quo etiam aſſequi poſſint, & aſſequantur, ſi velint: ſed ſolùm ſequitur Deum non omnino abſolutè, & efficaciter intendiſſe eorum ſalutem. Quod verum & nullum habet inconueniens. Hæc ille. Hæc volui tranſcribere, vt videas nihil facere ad rem, ſi implicationem non dicunt; Non enim facit ad noſtram difficultatem, num illa voluntas ſit permiſſiua, an ordinatiua: ſemper namque quærerem, quare hac voluntate ordinat auxilia, quibus certo

Deus vult aliquorum ſalutem voluntate permittente & aliquorũ ordinante.

ſcit Deus hominem repugnaturum? Quare Deus aliquorum vult ſalutem voluntate ordinante, aliquorum ſolum permittente? ſed quis dicet; Deum velle ſalutem eorum, qui de facto non ſaluantur permittendo? Confirmatur diſcurſus, hac voluntate Deus ordinat media certo ab arbitrio fruſtranda: ergo non eſt permittens, ſed ordinans voluntas. Conſequentia & ſi ex ſe clara ſit, probatur ſic. Quando Deus ordinat hæc media, quando, inquam, aliquem vocat, vocatione incongrua, vel intentio Dei vocantis eſt, vt vocet, vel non: ſi non, quare igitur vocat? cur vocat eum, quem vocari non vult? ſi ſic, ergo illa voluntas non eſt permiſſiua, ſed ordinatiua: nam permittere, etiam ſecundum aduerſarios, eſt aliquem effectum non impedire, qui aliunde impediri poſſet; ſed in noſtro propoſito, Deus non ſe habet negatiuè, ſed poſitiuè: nam verè ordinat media, quibus vult adiuuare.

Secundò, diſplicet vehemẽter quod dicat, tenẽtes prædeterminationes Phyſicas, dicimus Deum præſciuiſſe aliquos conſenſuros, aliquos verò repugnatu-

Digitized by Google

ros auxilio efficaci; quia hoc nos non dicimus, neque hoc i homiſta vnquam dixit, qui tenemus auxilium efficax nunquam fruſtrari poſſe, hominémque de facto, nunquam illi reſiſtere, & propterea ab æterno Deum præuidiſſe omnes illos infallibiliter conſenſuros, quibus ab æterno auxilium efficax illis miſericorditer concedere voluit.

Deus non eſt perſonarum acceptor.

Non eſt igitur quare aduerſarij quotidie nobis obiiciant, ex poſitione nempe auxiliorum efficacium ſequi infalibiliter Deum eſſe perſonarum acceptorem, eſſe crudelem, eſſe iniuſtum & ſimilia, quæ æquè bene contra ipſos militant & magis. Nonne partialitas quædam eſt aliquos voluntate abſoluta vocare, & alios conditionali? aliquos tempore quo certo ſcit eos infalibiter conſenſuros, & alios in quo ſcit certo repugnaturos? ſed bone Deus; quare vocat ſi ſcit vocationem inuenire repupugnantiam. ſi dicent vt oſtendat ſe iuſtiſſimum & animarum noſtrarum zelatorem, profecto eſſet maximè voluntaria reſponſio, quia hoc benè daretur intelligi, ſi dicerent Deum non vocare eos qui de facto non con-

uertuntur, quia ſciebat ſuam vocationem fruſtrandam fore.

Dicendum igitur, geminum eſſe Dei auxilium, alterum ſufficiẽs alterum, vero efficax, primum Deus omnibus dat, omneſque illud de facto recipiunt eſtq; ſufficientiſſimum ad hoc vt aliquis poſſit ſaluari, alterum omnibus offert, ſed de facto non omnes illud recipiunt: nam quemadmodum vt actu ſim albus, requiritur vt albedo in actu exiſtat: Cæterum vt poſſim eſſe albus, ſatis eſt vt poſſim habere albedinem. Dicitur igitur ſufficiens non ad efficiendum, ſed ad diſponendum, non in potentia remota, vt argumentabantur aduerſarij, quia potentia remota eſt hominum natura iuxta mentem Diui Auguſtini, ſed in potentia propinquiſſima, non ad agendum, vt dixi, ſed ad recipiendum formam, qua agens actu ſecundo agat; vnde ſicut natura nõ introducit formas, niſi in materia laborata, mirum videri non debet, ſi Deus regulariter obſeruet, iſtam diſpoſitionem factam per liberum arbitrium, gratia ſufficienti eleuatum, ad hoc vt det auxilium efficax. Hinc bene aiebat

Conradus 12 q 109. art. 10. Medina ibidẽ Soumel prima parte q 23. art. 3. diſpo 5 dub. 1. Bãnes ibidem.

Auxilium efficax omnibus offertur ſed non omnes recipiunt.

vbi ſuprà.

pater & doctiſſimus Cumel dicens, Ad probationem dicendum quod ſi per auxilium conuerſionis, intelligitur auxilium illud concomitans, quod in re habet effectum cum efficacia, hoc ſanè non datur hominibus in actu ſecundo, & in actu exercito; verumtamen per hominem ſtat quod non habeat actum ſecundum: quoniam ſufficienter conſtituitur homo in actu primo, & quaſi in potentia virtuali vt conuertatur, & habeat auxilium conuerſionis in actu ſecundo. Et ita nihil denegat neceſſarium ad ſalutem, Nam quòd careat homo actu ſecundo, & efficacia, & actuali illa permotione Dei, culpa eſt hominis.

Deus nil denegat neceſſarium ad ſalutē.

Sed aduerſarij non dormiunt: nam Molina prima parte quæſtione 23. articulo 5. memb. 10. ait quòd hæc doctrina eſt in intelligibilis & maximam inuoluit contradictionem, Dicunt enim (ait ipſe) quod Deus paratus eſt dare omnibus auxilium, quo actu conuertantur, ſcilicet efficax, poſtea aiunt, Cuicunque datur hoc auxilium efficax infallibiliter conuertitur, vel igitur Deus dat cuique vel non, ſi non ergo

Aduerſarij dicunt noſtram doctrinā inuoluere cōtradictionem.

Deus non eſt paratus dare, ſi ſic, igitur omnes conuertemur, non ſtant enim hæc duo ſimul, Deus dat quantum eſt ex parte ſua hoc auxilium efficax omnibus, ſi velint omnes illud recipere; nam ſi daret; non poſſent non velle (vt aduerſarij docent.)

Et Suares in opuſc. libro 3. capite 8. ait ſic. Sed hinc maximè impugnatur dicta ſententia, quia hoc ipſum principium quod in hac reſponſione confitetur, non poteſt cum ipſa ſua aſſerſione conſiſtere. Nam hoc auxilium efficax, dicitur eſſe qualitas ſeu entitas quædam ſupernaturalis, quam Deus efficit in nobis, ſine nobis: ergo quod nobis refundatur talis qualitas, non pendet à nobis aut à noſtro libero arbitrio, vt à cooperante illam entitatem, tum, quia non fit à voluntate noſtra. Igitur ſi infuſio illius formæ, quæ dicitur auxilium efficax, à libero arbitrio pendet, erit ſolùm ratione alicuius diſpoſitionis liberæ, quæ à Deo expectatur, vt illa poſita, ſtatim det tale auxilium, & ſine illa non det. Quæro ergo quænam ſit hæc diſpoſitio, ex parte noſtra neceſſaria, vel poſſibilis

Non depēdet à nobis, quod tale auxilium nobis conferatur.

ad talem gratiam efficacem. Et alia infinita multiplicat, quæ obſcuritatem & rei pariunt confuſionem. Soluemus igitur hæc duo tantùm, ex quibus pendet aliorum ſolutio, ſolum te rogatum velim, vt cùm omnia aduerſariorum argumenta offenderis, applices, quæſo, illi applicationi, ex qua dependet efficacitas auxilij ſecundum aduerſarios, & videbis eorum argumenta æquè benè impugnare efficax auxilium, ac illam applicationem: cùm ipſi perpetuò doceant, illam applicationem congruam eſſe neceſſariam ad hoc, vt aliquis actu conuertatur, quæ nihilominus non eſt in poteſtate eius, vt illam habere poſſit. Vnde ſic diſputabo. illi applicationi nullus de facto reſiſtit, ſed illam applicationem Deus paratus eſt omnibus dare, imo dat quantum eſt ex parte ſua, ſi homines velint illam recipere, Cur igitur omnes homines non conuertuntur?

Dicendum igitur ad Molinam, Deum dare omnibus auxilium efficax eo modo, quo dicimus Deum velle omnium ſalutem, vnde ſicut non valet hæc conſequentia, ergo omnes ſaluabimur, quia

volunt iti Dei nullus reſiſtere poteſt; Ita non valet, Deus dat auxilium efficax cui homo non poteſt reſiſtere in ſenſu compoſito: ergo omnes actu conuertemur. Ita & nos dicimus quod Deus dat, vel offert, ſeu paratus eſt dare omnibus auxilium efficax, ſi ipſi velint ipſum recipere: iſte vero vſus licet ſit à libero arbitrio, eſt tamen à Deo adiuuante quia ipſe eſt, qui præparat & diſponit voluntatem noſtram vt velimus, qui non expectat noſtram voluntatem vt purgari velimus eo modo, quo dicimus Deum velle ſaluare omnes ſi ipſi benè fecerint, quod etiam ab eo eſt, qui ait, ſine me, nihil poteſtis facere. Noſtra igitur doctrina contradictionem non inuoluit quæ docet Deum eſſe paratiſſimum conferre auxilium efficax vt actu conuertantur ſi ipſi velint conuerti, quæ nihilominus voluntas à Deo eſt. Iy ergo ſi velint, non dicit determinationem propriam voluntatis, ita vt Deus ponat de facto auxilium efficax in alicuius hominis voluntate, qui auxilio illo non vtitur, ipſúmque fruſtratur, nam tunc efficacitas non proueniret ex natura auxilij, & in hoc decipiuntur aduerſarij; ſed dicit

Soluitur ratio Molinæ.

Deus non expectat voluntatem noſtrã vt purgari velimus.

Digitized by Google

liberam arbitrij cooperationem.

Soluitur ratio Suares ex D. Th.

Ad Suares reſpondetur cum diuo Thoma 3.contra gentes cap.159.Is namque poſtquam demonſtrauerit adiutorium diuinæ gratiæ, ad ſalutem eſſe neceſſarium,obiicit ſibi in hunc modũ:ergo non imputabitur ad culpam ei, qui non habet donum diuinæ gratiæ(ſ. efficacis) ſi non conuertatur: Siquidem ſine dono diuinæ gratiæ conuerti nõ poteſt (ecce argumentum aduerſariorum millies repetitum). Huic obiectioni reſpondet ſic doctor Angelicus. Quanquam homo per motum liberi arbitrii non poſſet mereri, & adipiſci gratiam, poteſt tamẽ impedimentum imponere gratiæ ſuſcipiendæ: nam de quibuſdam dicitur Iob 21. Dixerunt Deo, recede à nobis.& 24.c. Rebelles fuerunt lumini. Ex quo ſequitur, quod homini qui reſiſtit gratiæ ſuſcipiendæ, merito imputatur ad culpam quòd non ſuſcipiat, nam Deus eſt paratiſſimus omnibus hominibus illam conferre, vult enim omnes homines ſaluos fieri. Sequitur ſecundo quod illi ſoli priuantur gratia qui ponunt impedimentum gratię ſuſcipiẽdæ, quemadmodum ſole illuſtrante totum

orbem, ei qui claudit oculos, meritò imputatur ad culpam ſi non videat, & ſi inde detrimentum ſubſequatur, licet non poſſit videre ſine lumine. Hæc ille. Diuus Anſelmus ad eundem modũ, & diſtinctè quidem, explicat nodum huius difficultatis, & proponit tale argumentum. Vel diabolus recepit donũ vt perſeueraret, vel non. Si recepit, quomodo non perſeuerauit? Si non recepit, quomodo imputatur ad culpam, quod non perſeuerauerit? Reſpõdet D. Anſelmus, quod non recepit, quia noluit recipere. Et hoc ideo, quia creatura relicta in ſua natura, & in ſua innata libertate, neceſſariò reſiſtit bono ſupernaturali; & ideo quando audis non conuerſionem imputari ad culpam eius qui non conuertitur, hoc non accipias, quaſi homo poſſit ex propriis aſſentiri: ſed quia non adiuuatur à Deo, vt liberè & dulciter conſentiat, eì verò qui auxilio efficaci reſiſtit, imputatur ad culpam; quia ſua libertate reſiſtit, licet de facto aſſentiri non poſſit, niſi adiutus diuino auxilio, quod Deus cuicunque dat, liberè dat, & de facto ſolum illi recipiunt, qui actu conuertuntur.

Imputatur homini, qui reſiſtit gratiæ efficaci ſi non conuertitur.

Hinc miror vehementer Suarium, qui vbi ſupra, dicit nos concedere hoc auxilium efficax nullomodo pendere à noſtra libera cooperatione: cum nos perpetuò doceamus efficacitatē huius auxilij, ſemper dicere ordinem ad liberum noſtri arbitrij conſenſum. Vnde licet dicamus entitatem auxilij vt ſic, eiuſque collationem, nullomodo dependere à libero arbitrio, eo modo, quo ipſimet docent applicationem talis auxilij, vocationémque congruam ſimpliciter, & vt ſic à Deo dependere: Volumus nihilominus effectum, & efficacitatem huius auxilij neceſſariò dependere à conſenſu liberi arbitrij, non quod conſenſus tribuat efficacitatem gratiæ, quia tunc incideremus in Molinæ opinionem; ſed quia efficacitas talis auxilij talis eſt, quòd egeat noſtri conſenſus, qui ab ipſomet fit auxilio, nobis liberè cooperantibus. Igitur quando Suares petit quænam diſpoſitio requiritur, ex parte liberi arbitrij negatiua, an affirmatiua? Reſpondemus, ad poſitionem auxilij efficacis, requiri diſpoſitionem poſitiuam, quæ nihil aliud eſt, quam conſenſus liberi arbitrij, quem fateor impro-

Entitas auxilij efficacis non pendet à libero arbitrio.

priè appellari diſpoſitionem, quia conſenſus noſter eſt cauſa totalis in vno genere. Ad negationem autem ipſius requiritur actus negatiuus, qui eſt non conſentire, & puto hanc eſſe de fide, Petrus non conuertitur, quia non conſentit, atq; ly non conſentit ab ipſo Petro eſſe, & iuſtè illi, cõſenſum à Deo denegari. Vnde ad id quod Suares ait: Deum efficere illud auxilium, homine nullomodo ad illud operante; Reſpondeo, Deum illud efficere in genere entis abſque homine, non autem in genere concurſus, vel Deus ſolus facit in vno genere cauſæ totalis ſ. auxiliantis, & mouentis, non autem in genere cauſæ concurrentis, & conſentientis, abſque homine. Nonne (aiunt) facit vt faciamus? Reſpondeo; volo, totum, ita tamen vt à factione noſtra dependeat quantum ad ſuum effectum, nam niſi homo conſentiret, nullum eſſet illud auxilium, fruſtraríque poſſet, atque reiici à voluntate, licet de facto nunquam reiiciatur. & hoc ſatis eſt vt hæc propoſitio ſit vera, auxilium efficax dependet à libero arbitrio.

Et hæc eſt clara mens Concilij Tri-

Digitized by Google

dentini, ſect.6.cap.5.quod docet peccatorem iuſtificari liberè,aſſentiendo, & cooperando, Deo præuenienti & excitanti per gratiam præuenientem; ita vt tangente Deo cor hominis per ſpiritusſancti illuminationem, neque homo ipſe nihil omnino agat, inſpirationem illam recipiens, quippe qui & illam abiicere poteſt(licet de facto numquam reiiciet ſup.) hæc inquam eſt catholica Concilii interpretatio, Et ſi Molina 1.p. q.23. num. 6. dicat nos huic autoritati, nunquam ſatisfacere potuiſſe.

Ita petit Suares in opuſ. lib. 5. cap. 8.

Dices, Per auxilium efficax voluntas habet vt poſſit agere, an vt agat? ſi vt poſſit ergo nullum eſt auxilium ſufficiens, vel hoc efficax nihil deſeruit; nam per auxilium ſufficiens habet etiam vt poſſit. Si habet vt operetur verum eſt; ſed tunc hoc auxilium, nihil aliud eſſet, quam ipſe concurſus Dei cum ſufficienti. nunc vehementer gaudeo quia video aduerſarios ad ſophiſmata iam confugere, Iam enim vides quomodo æquiuocant ly poſſe, alio modo enim accipitur ly poſſe quod prouenit ab auxilio efficaci, & alio modo vt à ſufficienti; nam auxilium ſufficiens dat poſſe in

actu primo, & imperfectè, auxilium vero efficax dat poſſe in actu ſecundo, & completè; nam qui dat enſem dat poſſe occidere hominem, qui vero dat enſem & hominem ligatum ſimul, tribuit quoque poſſe interficere, ſed diuerſimode, vt patet.

Dico ſecundò & clarius, hoc auxilium efficax dari, vt actu faciat, ſed quod tunc illud auxilium nihil aliud eſſet, quàm concurſus Dei cum auxilio ſufficienti, Nego. & hoc debet probare Suares, quem & ſi vt doctiſſimum veneror; eius nihilominus auctoritas, non eſt tanta apud me, quòd diſcurſum nulla ratione fundatum, credere faciat. Satis.

Digitized by Google

CONCLVSIO SECVNDA.

Auxilium efficax mouet voluntatem non moraliter & metaphoricè, ſed phiſicè & efficienter.

ANTEQVAM rationibus & ſanctorum auctoritatibus probemus cõcluſionem, velim te eſſe admonitum (benigne lector) in ſacra ſcriptura expreſsè nõ inueniri hæc nomina auxilij efficacis, prędeterminationis, phiſicæ præmotionis neque in ſacris Conciliis: Immo etiam neque vocationis moralis congruæ: ideo merito reprehendendus venit Suares, qui in breui reſolutione ſic loquitur. Tertio aſſerimus, illum auxilij modum, nullum in ſanctis patribus, aut conciliis

Inſcriptura non inueniuntur termi quibus hodiè Theologi vtuntur.

conciliis habere fundamentum; Ideóq; non eſſe admittendum in re tam ardua & ſupernaturali. HOC autem oſtendimus: Primo, quia omnia auxilia præuenientia, quibus Deus homines mouere ſolet ad fidem, pœnitentiam & ſimiles actus, declarant concilia & patres fieri à Deo in nobis per doctrinam externam & internam, perſuaſiones, illuminationes mentiſque excitationes, denique per inſpirationes & immiſſiones diuerſorum affectuum bonorum, amoris, aut odii. HOC conſtat ex Conc. Trid. Auroſic. &c. Secundo, quia nunquam patres vtuntur illo modo loquendi, quod Deus noſtras voluntates prędeterminet, multoque minus reperitur in eis veſtigium phyſicæ prædeterminationis. Merito (inquam) eſt reprehendendus qui hæc ait cùm neque ipſe oſtendat aliquem locum ſcripturæ in quo inueniatur, Deum trahere vocatione morali vocatione congrua, efficacitatem prouenire ex applicatione, non corrumpitur auxilio efficaci liberum arbitrium, eo quod præuidit ſcientia media &c. oſtendat nobis aliquod veſtigium huius ſcientiæ mediæ, & credemus illi, ſi dicat non in-

Digitized by Google

ueniri explicitè & ſub propriis verbis, inueniri tamen implicitè; nam ſancti patres docent Deum id facere inuitando, alliciendo, conſulendo, Tunc dico, ergo quæſtio eſt Theologica: nam pari ratione dicam in ſcripturis non reperiri motionem phyſicam, ſed benè aliquid, ex quo illud debet neceſſario ſequi: quia ſcriptura docet, Deum facere in nobis vt faciamus. cor noſtrum eſſe in manu ipſius vt quocunque voluerit vertat illud. Nec eſt audiendus idem ſupradictus doctor qui vbi ſupra ait, nunquam reperiri in ſanctis patribus, quod fundent neceſſitatem gratiæ in indifferentia libertatis, volens ex hoc expellere doctorem Angelicum diuum Thomam (ne dicam infinitos alios) qui 1. 2. q. 10. art. 4. ſic ait. Quia igitur voluntas eſt actiuum principium non determinatum ad vnum, ſed indifferenter ſe habens ad multa, ſic Deus ipſam mouet, quod non ex neceſſitate ad vnum determinat; ſed remanet motus eius contingens & non neceſſarius niſi in his ad quæ naturaliter mouetur. Quæ ratio quantæ ſit virtutis concluſione ſequenti videbitur.

Suares reicit D. Thomam adoreorum conſortio.

Digitized by Google

Sed neſcio qua ratione ducti ſpernant illam de ſenſu compoſito & diuiſo antiquam diſtinctionem, qua ſancti Patres vſi ſunt perpetuò contra hæreticos, vt ſaluent noſtri arbitrij libertatem cum prædeſtinatione & gratia. certè noua videri debet diſtinctio Molinæ aientis, diſtinctionem de ſenſu compoſito habere locum in his, in quibus verè adeſt facultas ad contrarium. peterem enim toto animo. Num qui ſcripti ſunt in libro vitæ, & à Deo ab æterno prædeſtinati, habeant realem potentiam vt de facto non ſaluentur, Ita vt hæc propoſitio aliquando ſit poſſibilis. Iſte prædeſtinatus eſt & moritur in peccato mortali. Si dicat quod ſic, ergo prædeſtinatio eſt fallibilis, quod puto eſſe hæreticum; ſi dicat quod non; Peto, quomodo igitur intelligitur illa propoſitio catholica, prædeſtinatum poſſe damnari: Profectò nullus alius fugæ remanet locus, nullúſque ſalutis portus, niſi diſtinctio ſenſus compoſiti, & diuiſi.

Noua diſtinctio Molinæ, diſtinctionem de ſenſu compoſito & diuiſo, habere locum in his in quibus verè eſt facultas ad cõtrarium.

Contra Suares etiam ſic diſputo inquiſitiuè. Num ille qui vocatus eſt ſecundum Dei propoſitum abſolutum,

Digitized by Google

& cui datur gratia efficax ex applicatione opportuna, poſſit reuera non conuerti? Neceſſario debent reſpondere quod non; quia aiunt altitudine intellectus Deum vidiſſe quid (verbi gratia) ille ſit operaturus de facto ſi in tali, vel tali occaſione crearetur: ergo poſito Petro in tali occaſione, de facto operabitur. Immo & infalibiliter, ergo de facto non poteſt agere contrarium, ergo non erit liber, Probatur vltima conſecutio, ex verbis ipſius Suares in opuſ. lib. 1. cap. 3. Libertas eſt illa, qua poſitis omnibus neceſſariis ad agendum poteſt reuera facere oppoſitum, ſed poſito quod Deus præuiderit Petrum benè operaturum in tali occaſione, in qua ipſum creat, infalibiliter illud operabitur; ergo non poteſt agere contrarium. Hoc argumento irretiti aduerſarij recurrunt ad diſtinctionem ſenſus compoſiti, & diuiſi, ſed aiunt in ſenſu eorum diſtinctionis ſaluari libertatem, n ſenſu autem noſtræ corrumpi, atque deſtrui, Nam Suares vbi ſupra ſic loquitur. Hoc denique confirmat vulgaris illa, ſed non minus vera quam neceſſaria Anſel. doctrina, qui dixit ſuppo-

Libertas eſt illa qua omnibus poſitis neceſſarijs ad agendum poteſt non agere.

Libro 1. cap. 3.

Digitized by Google

ſitionem antecedentem tollere libertatem, non autem conſequentem; quia ſi ſuppoſitio antecedens totum vſum liberum, & præ requiſita ad actum inducat neceſſariam conſecutionem actus, aut tollat potentiam ad oppoſitum actum, ſeu ad non agendum, talis ſuppoſitio impediet vſum liberum, quia iam potentia vt proximè applicata ad operandum cum omnibus requiſitis, non manet expedita & indifferens; ſed ad illud vnum determinata quod ex tali ſuppoſitione conſequitur. Vnde cum ſuppoſitio ipſa omnino etiam antecedat vſum liberum, nihil relinquitur, in quo indifferentia exerceatur. Secus vero erit ſi ſuppoſitio ſit conſequens actum liberum ſeu ipſum inuoluẽs: nam tunc cum iam ſupponat vſum liberum, nõ poterit illum impedire, Immo quicquid inde ſubſequitur etiã ſi neceſſaria cõſecutione ſubſequatur, à priori actu libero, vnde dimanat libertatem participabit, reſpectu illius potentiæ vel operãtis, à quo prior ille actus liberè manat, quomodo effectio Dei libera eſt, licet ex voluntate Dei neceſſario ſequatur, & motio manus eſt libera, quę neceſſario ſequitur ex vo-

Aduerſarij ſaluant libertatem in diſtinctione ſenſus compoſiti & diuiſi, licet alio modo.

luntate illam mouendi, & electio vnici medij eſt libera, in libera intentione finis. Denique hoc modo actus liber habet illam neceſſitatem qua, res, quando eſt, neceſſe eſt eſſe, quæ non excludit libertatem, quia ſupponit actum ipſum liberè factum.

Confirmatur doctrina Anſelmi.

Potéſtque hæc Anſel. doctrina amplius declarari & à priori confirmari, quoad primam partem, quæ nobis eſt neceſſaria. Quia ſi ſuppoſitio eſt omnino antecedens libertatis vſum, non poteſt neceſſario inferre actum aliquem niſi ſit aliquo modo cauſa eius: Nam ſi nõ eſt cauſa, quomodo poteſt vel actum inferre, vel voluntatem ita impellere vt omnino agat? & ita expreſsè Anſelmus neceſſitatem antecedentem dixit eſſe cauſam rei. Suppoſitio ergo antecedens cauſa eſt, ſi ergo neceſſario infert actum ipſa in ſuo genere, poſtquàm poſita eſt ſeu applicata, eſt cauſa neceſſario agens, atque ita neceſſario, vt voluntas non poſſit ei reſiſtere aut impedire effectum eius; nam ſi poſſet iam ex hac parte non eſſet neceſſaria conſecutio inter talem ſuppoſitionem & actum; ergo ſi illa applicatur antecedenter & independen-

ter à libero vſu voluntatis, non poteſt effectus inde conſequens eſſe liber ipſi voluntati, quia procedit ex cauſa neceſſario eliciente ſuum effectum, quem nec præuenire nec impedire poteſt ipſa voluntas.

Volunt hac diſtinctione dicere quòd licet ex applicatione opportuna reddatur auxilium efficax, eo tamen non deſtruitur libertas, ſicut corrumperetur ſi auxilium natura ſua eſſet tale: Et ratio huius eſt, quia iam decretum collationis auxilij præceſſit cognitio boni operis futuri.

Hæc doctrina ita aliquos ex noſtris turbauit vt dicerent eorum conuincere intellectum. Ego nihilominus nullã inuenio difficultatem, fateórq; optimã eſſe diſtinctionem diui Anſelmi, ſuppoſitionem nempe antecedentem deſtruere libertatem; quod ſubdiſtinguẽdum puto, videlicet, ſi id quod ſuppònitur antecedens ſupponatur per modum neceſſarii & per modum libertatem deſtruẽtis, non autem ſi per modum linientis & confortantis, & dulciter determinatis, & hoc eſt quod voluit dicere doctiſſimus Medina 1. 2, q. 10. art. 4. vbi ſic

Quomodo & quando ſuppoſitio antecedens corrumpit libertatem.

ait. Sed vt diligentius elucidetur, intelligendum eſt, quod quædam neceſſitas ex ſuppoſitione aufert libertatem veluti cùm id quod præſupponitur iam eſt neceſſarium, quemadmodum ſi Adam fuit, non eſt poteſtas vt non fuerit, ſi quidem ad præteritum non eſt potentia. Cæterum ſi id quod præſupponitur & ſtatuitur adhuc manet liberum & contingens,non aufert libertatem, vt ſi præſupponitur & ſtatuitur Petrum currere, aut eſſe, non tollitur facultas vt non currat vel vt non ſit. Itaque differt inter præteritum, præſens & futurum: quod ſi Adam fuit neceſſe eſt fuiſſe, verùm ſi Petrus eſt non eſt neceſſe vt ſit, & ſi Petrus naſciturus eſt, non eſt neceſſe vt naſcatur. His documentis diligenter notatis, vniuerſa argumenta propoſita ſoluere, puero faciie erit.

Suares in opuſ. à cap. 8 vſque ad 13.

Sed contra hoc inſurgunt aduerſarii & præcipuè Suares,aientes, ſe non poſſe intelligere, quomodo voluntas ad vnum determinetur phyſicè & remaneat libera. Si dicas manere liberam ab intrinſeco, non autem ab extrinſeco. Contra (clamant aduerſarii omnes) qui

credentes voluntatis determinationem ad liberum actum ab extrinſeco non poſſe prouenire ſalua libertate, ſic aiũt. Determinatio voluntatis eſſe debet voluntaria: Alioquin non determinaretur voluntas libero & ſpõtaneo modo, ſed potius vt quoddam inanime: nihil autem poteſt eſſe voluntarium niſi, vel ſupponat actum volendi per quem ſit voluntarium, vel ſit ipſemet actus volendi, qui per ſeſe, & intrinſecè voluntarius eſt: hæc autem determinatio non ſupponit actum volendi vt per ſe conſtat, ergo vt voluntaria ſit, neceſſe eſt, ipſam eſſe actum ipſum volendi. Quo fit vt loquendo de ipſa intrinſeca determinatione voluntatis, non ideo voluntas velit, quia aliunde eſt determinata, ſed potius ideo velit, quia ſeipſam determinat; ita tamen vt in ea cauſali nota, indicetur cauſa formalis, non efficiens. Nam in genere cauſæ efficientis nihil aliud eſt, voluntatem determinari, quam efficere volitionem, vel nolitionem: in genere autem cauſæ formalis determinata manet, quia manet affecta hac volitione potius quàm alia: & ita in hoc ſenſu non eſt repugnantia in illa lo-

Ideo voluntas vult quia ipſa ſeipſam ſe determinat

Digitized by Google

quutione, voluntas determinatur, quia vult, quamuis non determinetur niſi volendo, quia ibi non importatur cauſa efficiens, ſed formalis. Propriiſſimè autem & ſine vlla æquiuocatione dicetur, voluntas ſeſe determinare volendo, & velle, ſeſe determinando. Ex quo ſatisfactum eſt vltimæ confirmationi obiectionis propoſitæ, ſatiſque probatum relinquimus voluntatem ob ſuam indifferentiam non indigere ſpeciali determinatione extrinſecus proueniente: imò ideo illam non poſtulare, quia indifferens eſt. Hæc ille.

Præcipua ratio aduerſariorū. Et capite 12. ſic ait. Prima igitur ac præcipua ratio noſtra ſit: quia, ſi hoc genus prædeterminationis neceſſarium eſt nobis ad volendum, non eſt in noſtra poteſtate niſi id tantum velle, quod Deus vult nos velle: quod ſi hoc ita eſt ſequitur vlterius, nòs non liberè, ſed ex neceſſitate ſimpliciter, ommittere ſeu nō velle, quicquid ommittimus velle: & hinc conſequenter fit, nullam carētiam actus ſeu voluntatis quæ nobis accidat, poſſe nobis ad culpam imputari, quod eſt aperte hæreticum. Hæc vltima conſequētia certiſſima eſt quia in neceſſariis

nec meremur nec demeremur: ſecunda vero illatio etiam eſt certa quia quod non eſt in poteſtate noſtra, ex neceſſitate ommittitur: ſi ergo ipſum velle non eſt in noſtra poteſtate, omittere illud, non erit voluntatis ac libertatis, ſed neceſſitatis. Item ob hanc cauſam, quod omittimus ex ignorantia inuincibili, vel ex naturali & inculpabili inconſideratione, non imputatur nobis ad culpam, nec cenſetur liberum ſed naturale ac neceſſarium: quia non fuit in poteſtate noſtra id velle quod incognitum prorſus fuit; nec etiam fuit in poteſtate noſtra de re illa cogitare, quæ omnino ignorabatur, aut quæ animum nullo modo pulſauit: quia videlicet nihil nobis occurrit, quod aliquo modo eam cogitationem excitauerit, & niſi aliunde incipiat; non poteſt à nobis ipſis inchoari, eò quod voluntas non poſsit ferri in incognitum neque applicare intellectum non priuѕ aliqua, excitatum cogitatione. Hæc ille.

Tempus igitur eſt vt concluſionem noſtram probemus. Primò auctoritate Diui Thomæ ex quo ſolutionem argumentorum aduerſariis dabimus. Se-

cundo rationibus ex ipſorum doctrina deprompuis. Doctor igitur Angelicus prima parte quæſtione 105. articulo 4. quærens vtrum Deus poſſit mouere voluntatem creatam, ſic ait. Ad 4. ſic proceditur, videtur quod Deus non poſſit mouere voluntatem creatam.. Omne enim quod mouetur ab extrinſeco, cogitur. Sed voluntas non poteſt cogi, ergo non mouetur ab alio extr nſeco, & ita non poteſt moueri à Deo. Præterea, Deus non poteſt facere quod contradictoria ſint ſimul vera. Hoc autem ſequeretur, ſi voluntatem moueret. Nam voluntatem mouere eſt ex ſe moueri, & non ab alio, ergo Deus non poteſt voluntatem mouere. Præterea, motus magis attribuitur mouenti, quàm mobili. Vnde homicidium non attribuitur lapidi, ſed proiicienti. Si igitur Deus moueat voluntatem, ſequitur quod operà voluntaria non imputentur homini ad meritum vel demeritum, hoc autem eſt falſum, Non igitur Deus mouet voluntatem. Sed contra eſt quod dicitur Phil. 2. Deus eſt qui operatur in nobis velle & perficere.

Omnia argumenta aduerſariorum deſumpta ſunt ex D. Thoma.

Ecce argumenta omnia aduerſario-

rum, ecce quomodo ex diametro, eius ſententia illis eſt contraria, ſed ecce quomodo ipſum relinquunt, imo impugnant; ſed audiamus quid ſol veritatis dicat & num tenebræ ignorantiæ valeant coram eo ſubſiſtere. Ad primum ergo dicendum, quòd illud quod mouetur ab altero, dicitur cogi, ſi moueatur contra inclinationem propriam: ſed ſi moueatur ab alio quod ſibi dat propriam inclinationem, non dicitur cogi. Sicut graue cum mouetur deorſum à generante, non cogitur. Sic igitur Deus mouendo voluntatem, nō cogit ipſam: quia dat ei eius propriam inclinationē. Ad ſecundum dicendum, quòd moueri voluntariè eſt moueri ex ſe, id eſt, à principio intrinſeco. Sed illud principium intrinſecum poteſt eſſe ab alio principio extrinſecō. Et ſic moueri ex ſe non repugnat ei, quod mouetur ab alio. Ad tertium dicendum, quòd ſi voluntas ita moueretur ab alio quod ex ſe nullatenus moueretur, opera voluntatis non imputarentur ad meritum, vel demeritum. Sed quia per hoc quod mouetur ab alio, non excluditur quin moueatur ex ſe, vt dictum eſt: ideo per

Voluntas non cogitur auxilio efficaci, quia mouet ipsā, ſecundum ſuam naturam.

Digitized by Google

conſequens non tollitur ratio meriti, vel demeriti.

Et ex his habes vnde omnia argumenta aduerſariorum ſoluere poſſis, quando clamant Deum non poſſe neceſſitare noſtram voluntatem ſi vellet, niſi efficaciter & Phyſicè ipſam determinando: nam Suares in opuſc. lib. 1. cap.13. ſic ait. Ex hoc igitur ſic colligo; Non poteſt Deus efficaciorem vim inferre creatæ voluntati, quam per ſuam efficacem & abſolutam voluntatem, quia non habet ipſemet Deus aliquid in ſeipſo, quo efficacius & fortius operetur quicquid poteſt operari: nam operatur ſecundum conſilium voluntatis ſuæ, ita vt menſura operationis ſit voluntas eius: nulla autem eſſet voluntas Dei potentior ad operandum, quàm ſit voluntas efficax & abſoluta: ergo, ſi ſecundùm hanc mouet & determinat voluntatem, non relinquitur alius modus, quo illi poſſit neceſſitatem inferre. Imò nec intelligi poteſt. Quæ maior poſſit eſſe neceſſitas quàm quòd independenter à me, Deus ſtatuat quid ego facturus ſim, & per eam voluntatem me Phyſicè prædeterminet, ita vt ego non poſſim aliter

velle, quàm prout Deus me determinauerit.

Reſpondetur igitur quod, Deum mouere libertatem noſtram, & determinare ipſam ad vnum, contingit tripliciter. Vno modo mouendo eam, & determinando ipſam ad vnum non obſeruata propria voluntatis natura & conditione, neque relinquendo iudicium indifferens; ſed pertrahendo illam, leges libertatis non obſeruando, & hoc modo Deus non mouet voluntatem noſtram, tunc enim libertatem eius deſtrueret: non enim poſſibile eſt; quod ſit voluntas, quod libera, & quod per aliquod principium ſibi extrinſecum ad vnum determinetur. Secundo modo Deus poteſt mouere & determinare voluntatem noſtram ad vnum, proponendo ei obiectum neceſſario diligibile, nam cum de eſſentia voluntatis ſit quod feratur in bonum, in eo non poteſt eſſe libera, vt ſi feratur non feratur in bonũ, vel ſub ratione boni: & ideo Diuus Thomas prima 2. quæſtione 10. art. 2. ait quod voluntas ab aliquo obiecto neceſſario mouetur, ab aliquo verò non: in motu enim cuiuſlibet potentia à

Quomodo Deus poſſet cogere voluntatem ſi vellet.

ſuo obiecto, conſideranda eſt ratio per quam potentia mouetur ab eo: viſibile namque mouet viſum ſub ratione coloris actu viſibilis, vnde ſi color proponatur viſui, ex neceſſitate mouet ipſum, niſi aliquis viſum auertat (quod pertinet ad exercitium actus) ſi autem proponeretur viſui aliquod quod non eſſet color in actu omnibus modis, ſed ſecundum aliquid eſſet tale, ſecundum aliquid non tale, non ex neceſſitate viſus tale obiectum videret: poſſet enim intendere in ipſum ex ea parte, qua non eſt coloratum in actu, & ſic ipſum non videret. Sicut autem coloratum in actu eſt obiectum viſus, ita bonum eſt obiectum voluntatis; vnde ſi proponatur voluntati aliquod obiectum quod ſit vniuerſaliter bonum, & ſecundum omnem conſiderationem, ex neceſſitate voluntas in illud tendit: non enim poteſt velle oppoſitum, ſi autem proponatur ſibi aliquod obiectum, quod non ſecundum quamlibet conſiderationem ſit bonum, non ex neceſſitate voluntas fertur in illud. Hæc Diuus Thomas. Et hoc modo non mouetur voluntas ab auxilio efficaci.

Voluntas neceſſario fertur in bonum.

Hinc

Hinc admiratus ſum vehementer moderniſſimum quendam virum, alioqui doctiſſimum; qui in dictatis ſuis probando ſecundam concluſionem, ita loquebatur: Quare non ob aliud beati neceſſario, & non liberè amant Deum, quam quod voluntas ipſorum determinatur à lumine gloriæ ad amandum, ita vt amare eum non poſſint. Hoc inquam nullo ſenſu poteſt eſſe verum. Primo quia eſt contra Diuum Thomam, & contra totam ſcholam Peripateticam quæ docet voluntatis determinationem in bonum eſſe illi intrinſecam, & à natura inditam: quippe ſi hæc determinatio eſſet à lumine gloriæ eſſet ei extrinſeca: eſt etiam contra omnes Theologos vnanimiter docẽtes lumen gloriæ eſſe habitum, & non auxilium, ergo eius non eſt determinare, ſed quo intellectus determinatur. Miratus ſum, inquam, vehementer, (ſi mea non me fallit opinio) nam iſte doctor cum Suario, & Molina tenet cauſas ſecundas ſe ipſas determinare, tum ad actus naturales, tum etiam ad actus ſupernaturalis, neque egere extrinſeco prædeterminatiuo: & in hac ratione ſumit

Voluntas Beatorum non determinatur a lumine gloriæ.

tiam : nec volo in præſentia in litem vocare, an velle Dei, ſit ſuum agere, de quo in prima parte abunde diſputatur; Sed dico pro confutatione argumenti quòd Deus nunquam vult præcisè hominem agere: ſed agere liberè, vel agere neceſſariò, ſaltem hoc eſt verum de agente indifferente ad agendum liberè vel neceſſario. Vnde ſi Deus vellet ſolùm voluntatem agere, & non determinaret modum agendi, non eſſet maior ratio, quòd ageret neceſſariò, quàm liberè, & ſic non ageret. Itaque ad hoc quòd Deus neceſſitet voluntatem, requiritur quod velit voluntatem neceſſariò agere.

Sed Suares hoc non valens intelligere, vel nolens: rogat vt oſtendamus illi differentiam inter mouere efficaciter liberè & inter mouere efficaciter neceſſario. capite namque ſupra citato ita loquitur. Sed explicetur quæſo in qua re conſiſtat hæc differentia: & infra num. 7. ita ait. Quocirca, cùm dicitur poſſe Deum velle efficaciter determinare Phyſicè potentiam, & liberè, in hoc obiecto inuoluitur contradictio; nam perinde eſt, ac ſi dice-

Differentia inter mouere efficaciter liberè & efficaciter neceſſariò.

retur, poſſe velle, vt ſimul in eodem actu neceſſariò, ac liberè operetur. Eſt autem cauenda æquiuocatio ad ſoluenda ſophiſmata argumentantium, quæ infra videbimus, & ſiſtendum in propria ac Phyſica prædeterminatione. Aliud enim eſt, Deum efficaciter, id eſt, infallibiliter mouere voluntatem, & eodem modo efficaciter facere vt velit liberè, aliud verò, Phyſicè illam prædeterminare. Primum poteſt facere Deus, & facit in his quos per gratiam mouet, quod in 3. lib. ex profeſſo eſt declarandum. Secundum non facit Deus, nec poteſt ſtare ſimul cum libertate; quia includuntur in eo duæ conditiones oppoſitæ, ſcilicet, poſſe reſiſtere motioni, quod eſt ad libertatem neceſſarium, & non poſſe reſiſtere, quod eſt de ratione Phyſicæ prædeterminationis per voluntatem Dei abſolutam, & efficacem. Hæc ille. Reſpondemus, inter velle voluntatem aliquid agere neceſſario & aliquid liberè tantam eſſe differentiam, quantam inter agere neceſſariò, & agere liberè: vnde cum de eſſentia voluntatis ſit liberè agere, & nihilominus hæc libertas

indifferentiæ determinatur ab homine per iudicium intellectus, ita Deus auxilio efficaci facit mirabili modo, voluntatem appetere libere, id quod ipſe ab æterno decreuit vt appeteret: puto enim, Deum optimè noſſe modum quo libertas determinanda eſt, eumque poſſe obſeruare in his Phyſicis motionibus; & hoc eſt quod voluit dicere Diuus Thomas vbi ſupra. Ad primũ ergo dicendũ quod illud quod mouetur ab altero cogitur ſi moueatur cõtra inclinationem propriam. Et hoc docet Molina in concordia diſputatione 38. vbi ſic loquitur. Quinto difficultatem facit quod iuxta hanc ſententiam licet ſalua maneat ratio ſpontanei, perit tamen libertas adultorum vt conuertantur, aut non conuertantur in eo ipſo inſtanti in quo conuertuntur, ac iuſtificantur, quod ſanè cum fide Catholica pugnat. Ecce quomodo ex aduerſariis Deus poteſt Phyſicè mouere voluntatem, abſque eo quod ipſam cogat. Id etiam confirmo ex ipſomet Suario in opuſc. libro 3. capite 7. circa finem vbi ſic ait. Ratio prioris partis eſt, quia Deus comprehendit capa-

Deus auxilio ſuo facit, quod homo ipſe per iudiciũ intellectus.

Noſtra concluſio probatur ex aduerſariis.

Digitized by Google

citatem, & inclinationem humanæ voluntatis, & omnes vias, & modos quibus ad conſenſum inclinari poteſt, vel impediri: ergo poteſt ita circumuenire, ſeu præparare voluntatem, vt infallibiliter faciat eam conſentire. Et paulo infra. Et demon ſua tentatione poteſt ita hominem opprimere, vt infallibiliter ſequatur conſenſus, niſi gratia Dei ſubueniat, imo & vnus homo ſi probè cognoſcat alterius ingenium, & conditionem, ſitque efficax in perſuadendo, poteſt efficaciſſimè illum pertrahere ad id quod vult: quid ergo non poterit facere Deus? Hæc ille.

Tunc ſic diſputo Deus poteſt efficaciſſimè pertrahere aliquem ad id quod vult, ergo per auxilium efficax Phyſicè mouens voluntatem. Probatur conſequentia ex aduerſariis, & præcipuè ex Suario qui vbi ſupra ſic loquitur. Hoc igitur ſenſu dicimus illam determinationem (loquendo de determinatione morali) non poſſe eſſe tantam vt effectus ſit prorſus infallibilis; nam cum in voluntate maneat vera, realis, ac Phyſica potentia ad reſiſtendum illi excitationi, non implicat contradictio-

nem illum effectum impediri, Hæc ille. Sed efficaciſſimè trahere non patitur poſſe impediri, ergo efficaciſſimè trahere nequit Deus niſi per auxilium efficax.

Secundo probatur concluſio ratione ſic. Deus poteſt aliquem conuertere nulla ſuppoſita ſcientia conditionata, qua cognoſcit hominem in aliqua occaſione conſenſurum ſuæ vocationi, ſi hoc vel illo modo ipſum excitet. Volo dicere quod Deus poteſt efficaciter cōuertere hominem, quem præſciuit omni tempore, & occaſione repugnaturum vocationi, numquam conſenſurum: ſed hoc non erit niſi per Phyſicam prædeterminationem, vt etiam aduerſarij fatentur: ergo auxilium efficax non deſtruit libertatem. Maior eſt Diui Auguſtini in Enchiridion capite 95. Probatur etiam ratione. De fide namque eſt Deum poſſe ſaluare quoſcunque vult, ſed multi ſunt homines quos Deus cognoſcit, ſuæ gratiæ in quacunque occaſione repugnaturos ergo, &c. Suares in opuſc. cap. 14. ad ſecundam difficultatem ait. Caſum eſſe impoſſibilem, creditque nullum

Deus poteſt aliquem cōuertere nulla præſuppoſita ſciētia conditionata.

hominem à Deo cognoſci, qui tandem ſuæ vocationi in aliqua occaſione opportuna non conſentiat, ſic enim loquitur; Ad ſecundam difficultatem reſpondetur negando ſequelam, quia cum infinita ſit Dei potentia, & ſapientia qua nouit omnia auxilia, & omnes modos quibus poteſt voluntatem hominis ad aliquid inclinare, impoſſibile eſt, quin aliquem præuideat quo tandem homo conſenſurus ſit, ſi ei applicetur.

Ita docuit Auguſt. quæſtione 2. ad ſimplic. circa medium his verbis. Cum alius ſic, alius autem ſic moueatur ad fidem, eademque res ſæpe alio modo, dicta moueat, alio modo dicta non moueat, aliumque moueat, alium non moueat, quis dicat defuiſſe Deo modum vocandi, quo etiam Eſau ad eam fidem mentem applicaret, voluntatemque coniungeret, in qua Iacob iuſtificatus eſt? Et addit. Quod ſi tanta quoqne poteſt eſſe obſtinatio voluntatis, vt contra omnes modos vocationis obdureſcat mentis auerſio, quæritur etiam, vtrum de diuina pœna ſit ipſa durities.

Digitized by Google

Ac ſi dicat nunquam eſſe poſſe tantam duritiem, quin poſſit diuina aliqua vocatione emolliri: Et ideo quod negetur talis vocatio quæ cor obduratum emolliret, ad diuinam pœnam eſſe referendum: & hoc eſt quod ſubdit Auguſtinus: Cum enim Deus deſerit, non ſic vocando quomodo ad fidem moueri poteſt: quis etiam dicat modum, quo ei perſuaderetur vt crederet, etiam omnipotenti defuiſſe? Vnde non eſt inconueniens, quod potuerit Deus illa conditionata ſciētia de aliquo præuidere non eſſe conuertendum omnibus auxilijs ordinarijs gratiæ; tamen quia pręter hęc auxilia poteſt Deus infinitis modis hominem adiuuare & vocare, ideo ſimpliciter fieri non poteſt; quin præcognoſcat Deus plures gratias, ſeu auxilia quibus de facto conuerteret hominem ſi vellet illa præſtare. Quod à fortiori patet quia ſi Deus ſinat hominem tentari à dæmone omnibus modis, quibus ille nouit & poteſt, ipſum tentare, impoſſibile eſt vt ſola libertate homo ei reſiſtat, ſed infalibile erit vt aliquo modo in tētationē cadat: ſed multo eſt potētior diuina gratia & plures nouit Deus incli-

Nulla eſt duritiés quæ. Diuina miſericordia non poſsit emolliri.

nandi & trahendi voluntatem, vt bonis conſentiat:ergo non eſt contingens: vt ex tot gratiæ auxiliis & vocationibus non præcognoſcatur aliqua, cui homo conſenſurus ſit. hæc ille.

An hæc ſint vera,& intentum Auguſtini explicent, non curo; Hoc ſolùm ſcio, ea argumenti vim non attingere: noui enim Deum cognoſcere infinitas occaſiones & infinitas opportunitates in quibus ſi homo poneretur, infalibiliter benè operabitur. Sed quæro. Num Deus de potentia abſoluta,poſſit creare hominem omni diuinæ vocationi congruæ repugnaturum? ſi dicant quod nõ, oſtendant contradictionem & cauſam, quare Deus talem hominem creare nõ poſſit: nam ſi infinita eſt Dei omnipotentia & ſapientia, vt ſciat occaſiones, quibus infiniti homines conuerterentur, ſi in ipſis vocarētur, ergo etiam hominem creare ſcit & poteſt, quem videt nulli occaſioni conſenſurum, & hoc nullus negabit mentis compos. Si dicatur Deum poſſe talem hominem creare,peto. Num poſſet illum ſaluare: Cum igitur hoc non implicet contradictionẽ, vt iudico, ſupponamus quòd de fa-

Num Deus poſſit ſaluare hominem, quem non præſcit ſcientia media benè operaturum.

&to talis homo creetur, peto, inquam, Num hæc propoſitio ſit vera, iſte homo non eſt conuertibilis liberè per quamcunque potentiam? ſi dicant quod non: ergo Deus poteſt creare hominem, quem ſaluare nequit, quòd puto hæreticum, ſi dicant quòd ſic: ergo non erit per motionem moralem & vocationem congruam, cuius efficacitas pendet ab opportunitatibus ſecundum ipſos, ſed per auxilium efficax phyſicè mouens voluntatem.

Hoc argumẽto mordicus tactus Suares vbi ſupra ſic loquitur. Nàm ſi per impoſſibile admitteremus aliquam voluntatem futuram fuiſſe tam prauam, vt omnibus temporibus & momentis reſtitura eſſet cuicunque vocationi quantumuis potentiſſimæ, inde nihil ſequitur contra diuinam omnipotentiam; ſed ſequitur ſolùm voluntatem verè ac propriè manere liberam, poſita quacunque Dei vocatione, quod veriſſimum eſt. Et conſequenter ſequitur data illa hypotheſi: Deum non poſſe talem voluntatem efficaciter & liberè conuertere, quam, prǽſupponitur cognouiſſe reſtituram ſemper, ſi liber vſus ei conce-

datur, poſſet tamen illam conuertere quò vellet impediendo libertatis vſum. Et in hoc diuina omnipotentia ſatis oſtenditur. Tamen illa hypotheſis, vt dixi, ſimpliciter impoſſibilis eſt. hæc ille.

Deus poteſt ſaluare etiam eos, quæ præſciuit repugnaturos.

Hanc reſponſionem omnino voluntariam, & certè improbabilem capere nequeo, præcipuè in eo quod ait, Deum non poſſe aliquem hominem ſaluare ne eius deſtruat libertatem, ac ſi Deo deficeret modus quo voluntatem deflectere poſſet, & modum quo voluntas liberè ſit inclinanda, & determinanda neſciret. Atque miror aduerſarios aientes illum caſum eſſe impoſſibilem: cum ipſi perpetuo doceant Deum ſcientiam mediam cognouiſſe quamplurimas nec non infinitas occaſiones in quibus ſi omnes homines crearentur & in illis vocarentur ſalui fierent & certo diuinæ aſſentirent vocationi, & alias in quibus minimè, in quibus nihilominus multos creauit, quos vidit ſuæ vocationi repugnaturos. Igitur non ſolum caſus eſt poſſibilis, ſed etiam de facto res ita ſe habet. Reſpondent aliqui, aliud eſſe aliquos creari in occaſionibus quibus non, & aliud eſſe Deum carere modo,

Digitized by Google

quo&c. Immo etiã aiũt, quod qui in illis occaſionibus ponuntur in quibus Deus certo ſcit eos non conſenſuros, ſi in aliis crearẽtur, conſentirent. Tunc argumẽtor ſic, Eos, quos Deus noluit in illis benedictionibus creare poteſt ſaluare, vel non, illæſa libertate. dicunt quod non, ergo Deus multos creauit homines, quos ſaluare nequit. Reſpondent aliud eſſe, poſſe ſaluare hominem, & aliud poſſe ſaluare hominem quem decreuit non ſaluare. poteſt enim Deus ſimpliciter ſaluare quemcunque hominem, ſed non illum quem ex hypotheſi decreuit non ſaluare. ſicut de reprobis, & non prædeſtinatis communiter dici ſolet. Contra ergo à Deo non eſt petenda iuſtificatio, non eſt roganda gratia, quæ hac Deus ſemper pulſat; ſed bona occaſio, tempus opportunum, in quibus niſi pulſabit fruſtrabitur vocatio. ſed relinquamus hanc hypotheſim, abſolutè diſputo ſic inquiſitiuè. Deus illa ſciẽtia media, qua cognouit Petrum nunquam conſenſurum in tali, vel tali occaſione vocatum, cognoſcitne Petrum, ſe non poſſe ſaluare, ſi illud tandem accidet? Reſpondent quod ſic: ergo non ſolum

Deus abſolute cognoſcit ſe non poſſe ſaluare aliquos.

ex hypotheſi & in ſenſu compoſito, ſed etiam abſolutè cognoſcit hominem, nulla potentia iuſtificandum. Si dicant non eſſe deffectum ex parte omnipotentiæ, ſed ex ratione libertatis. Contra ergo Deus non poteſt facere ſe ipſo ſolo; & auxilio efficaci, quicquid occaſionibus poſſet, ergo occaſio fortior eſt, & ſapientior Dei voluntate.

Deus poteſt phiſicè determinare voluntatem, quam prævidit, benè operaturam.

Confirmatur hæc ratio, & concluſio ſimul corroboratur ſic. Deus poteſt determinare phyſicè voluntatem hominis ad aliquem actum, quem vidit ipſam operaturam fore, abſque eo quod eius minuat rationem libertatis, ergo mouere phyſicè vt ſic non eſt deſtructiuum libertatis: conſequentia eſt euidens; quia ſi mouere & determinare ad vnum voluntatem, eſſet vt ſic deſtructiuum libertatis, ſequeretur quod ſemper deſtrueret. Probatur antecedens illam vocationem efficacem & infalibilem, quam congruam vocant, Ideo non labefactare volũtatẽ (aiũt) quia taliter ex ſe operaturum arbitrium vidit Deus ab æterno: nam Suares in opuſ. lib. 1. cap. 16. contra ſeipſum diſputans, ſic ait. Quod ſi quis inſtet, quia etiam hic ha-

bet locum ille argumentandi modus, poſita prædeffinitione, voluntas non poteſt facere, & prędeffinitio illa eſt ſuppoſitio antecedens; nam ponitur ante præſcientiam futuri effectus, & antequā voluntas ſeipſam determinet etiam in præſcientia diuina, ergo etiam hæc prædeffinitio tollit libertatem. Ad hanc obiectionem dicendum eſt (ait) in vtraq; parte antecedẽtis reperiri magnam differentiam inter hanc prędeffinitionem, & aliam prædeterminationẽ: & vt à poſteriori incipiam prædeffinitio hæc non eſt ſimpliciter antecedens vſum libertatis, quia ſupponit præſcientiam eius ſaltem vt futuri, ſub tali conditione, ſine qua præſciẽtia, nullomodo intelligi poſſet talis prædeffinitio, niſi includens ordinem ad phyſicā prędeterminationem voluntatis: quia ſecluſa illa præſcientia, non eſſet aliud medium omnino certum, & infalibile ad prædeffinitionem implendam. At vero ſi ſupponatur ille conſenſus liber futurus, ſi hæc vel illa conditio adhibeatur; prædeffinitio ex tali ſuppoſitione concepta, reſpicit intrinſecè conſenſum illum liberum, vt perducẽdum ad effectum per illud me-

Aduerſarij concordant prædeffinitionem cum libero arbitrio.

dium, ſeu per illam conditionem, qua poſita præcognitus eſt infalibiliter futurus. Hac ergo ratione hæc prædiffinitio non eſt ſuppoſitio ſimpliciter antecedens, ſed ſupponens aliquo modo vſum libertatis, cui ſeſe accommodat in modo quo ad executionem perducitur. Alia vero prædeterminatio eſt ſimpliciter antecedens & ſolum ex ſua vi & efficacitate infert effectum: vnde ex vi illius non eſt neceſſe occaſionem vel opportunitatem libertati accommodatam obſeruari, quia per ſe, & vi ſua determinat voluntatem in quocunque euentu, & cum quauis cognitione obiecti: quia eius neceſſitas in his non fundatur, ſed in ſola efficacitate & omnipotentia voluntatis Dei. hæc ille. Sed prædeffinitio æterna & decretum abſolutum quo Deus voluit ſecundum propoſitum aliquid fieri, non eſt minoris efficaciæ ipſo auxilio phyſico determinante, nam cum præfinitio ſit decretum diuinæ voluntatis abſolutum, & efficax quo voluit talem actum à me fieri antequam præſciret abſoluta ſcientia me illum facturum, & antequam voluerit vel permiſerit eſſe, & applicari cauſas, quæ illum

Suares cap 7. lib. 2.

Digitized by Google

lum effectum ſunt in tempore producturæ, ergo tantam difficultatem eſt inuenire in prædeffinitione reſpectu liberi arbitrij, quantam in ipſa prædetermination physica; Ideo ſi ipſi quærant quomodo determinatur ad vnum voluntas per auxilium efficax & manet libera? Ego petam, quomodo præfinit Deus actum, & voluit abſolutè me facere hunc, & illum actum & ſim liber? ſed ipſi benè reconciliant prædeffinitionem cum libertate, ſcientia media: nam Suares ita loquitur. Nihilominus tamen ſuppoſita in Deo illa ſciẽtia futurorum ſub conditione, ab omni anguſtia & perplexitate liberamur, & vſum libertatis noſtræ cum quacunque perfectione diuinæ prouidentiæ, & prædeffinitione actuũ liberorum ita componimus, vt quantum res patitur difficultates omnes ſuperaſſe videamur, neque enim conſequenter mihi loqui videtur qui admiſſa illa conditionali ſcientia, verentur concedere Deum ſalua libertate noſtra præfinire abſolutè, & in particulari actus noſtros liberos directè & in ſeipſis. hæc ille. Ergo etiam poſita hac ſcientia media auxilium efficax benè *Suares cap. 16. lib. 1.*

Digitized by Google

poteſt componi cum libertate: conſequētia hæc mihi videtur neceſſaria: nam ipſi ſicut ea non negāt præfinitiones, ita etiā neq; phyſicas prædeterminationes: nō eſt igitur quare dicant, gratiā efficacē deſtruere libertatem, nā poſita illa ſcientia, optimè illi cohæret. ergo auxiliū efficax vt ſic nō eſt deſtructiuū libertatis.

Auxilium efficax vt ſic non eſt libertatis deſtructiuum.

Aduerte tamē diligēter, me nolle dicere auxilium efficax non deſtruere voluntatem propter illam ſcientiam mediam, quam nullomodo admittam in via diui Thomę; ſed volo probare, quod ſi per hanc ſcientiam, auxilium efficax non deſtruit, eius natura non erit deſtruere, & ſic aduerſarij debent dicere auxilium efficax deſtruit, quia in via veſtra non admittitur ſcientia media; Igitur determinari ad vnum à principio extrinſeco, & phyſicè vt ſic, non eſt corruptiuum libertatis; niſi in quantum non ſupponimus hanc ſcientiam mediam. Tunc his ſtantibus conficio ſic argumentum. Patres Eccleſiæ & antiquiores ſcholaſtici, optimè reconciliarunt libertatem cum his tribus, (maxima licet cum difficultate) ſed non per ſcientiam mediam; alioquin non tantum laboraſ-

Patres optime cōcordant arbitriū cum gratia abſque ſcientia media.

Digitized by Google

ſent, cumque in ipſis nullum huius ſciẽtiæ veſtigiũ inueniatur; ergo optimè cohęret libertas arbitrij cũ illis tribus, nulla admiſſa conditionali ſcientia. neq; aduerſarij debent rem tam magni momenti, in re dubia & inaudita, ne dicam falſa, fundare.

Hinc deprehendes illius diſcurſus falſitatem, quem habet Suares in opuſ. lib. 1. cap. 8. vbi ſic ait. Veruntamen hæc ipſa ratio in qua maximè hi auctores initũtur, eorum ſententiam falſam eſſe apertè declarat, eiuſque rei declaratio noſtrã maximè aſſertionẽ cõfirmat. Clariſſimè enim ſupponũt, qui ita argumentantur, totã noſtræ volũtatis indifferentiã paſſiuã eſſe & nõ actiuam, & negatiuã potius quã poſitiuã. Nam ſi volũtas vt eſt prior ſuo actu, ita eſt indifferens vt non poſſit ſeipſam determinare, etiã poſitis omnibus prę requiſitis ad volendũ, niſi ab alio extrinſeco agẽte determinetur. ergo illa indifferentia tantum paſſiua eſt, ad recipiendum nimirum hanc vel illam determinationem pro alterius voluntate & arbitrio. Probatur conſequentia quia reſpectu talis determinationis, voluntas ſolum paſſiuè ſe habet & non a-

Digitized by Google

Reſpectu vocationis Phyſicè voluntas ſe habet paſſiuè.

ctiuè, vt prædicti auctores docent, & quidem conſequenter; nam exiſtimant hanc determinationem antecedere ordine cauſalitatis & naturæ, omnem actum voluntatis: Ex quo neceſſario fit hanc determinationem non effici à voluntate,quia omnis efficientia volútatis eſt ab hac determinatione, quia ante illam dicitur eſſe inepta ad agendum aliquid,eo quod ſit indeterminata & indifferens. Item iuxta veram philoſophiam voluntas nihil per ſe & immediatè efficit niſi actum volendi vel nolendi: ſicut in vniuerſum hæ potentiæ animæ proximè ſolum efficiunt ſuos actus ſecundos: ſed illa determinatio vt antecedit in voluntate iuxta ſententiam quam impugnamus, non eſt actus voluntatis, ſed aliquid prius, fit ergo à ſolo Deo & non à voluntate: ergo indifferentia voluntatis reſpectu talis determinationis eſt tantum paſſiua. Et ſimiliter ſequitur eſſe potius negatiuam quam poſitiuam & ad ſummum in potentia receptiuam. Hæc ille.

Aduerſarij nobis imponunt falſa.

Hîc inquam diſcurſus falſus omnino eſt, in quo bonus vir nobis imponit quod nunquam ſomniauimus. Quo-

Digitized by Google

modo enim Thomiſtæ credent, voluntatem noſtram reſpectu operis ſupernaturalis ſe habere tantum paſſiuè, & negatiuè, cum doctor Angelicus doceat in reſponſione ad ſecundum, & tertium vbi ſupra, voluntatem ita moueri ex principio intrinſeco & ex ſe, vt non repugnet moueri ab alio principio extrinſeco, & clarius in reſponſione ad tertiũ ſic ait. Sed quia per hoc quod mouetur ab alio, non excluditur quin moueatur ex ſe. Volo igitur volũtatem recipere illam determinationẽ, ſed recipiẽdo operari liberè, quandoquidem ipſam poſſet ab intrinſeco reiicere, vt ſępius dictũ eſt.

Reſpondeo igitur ad argumentum ex eiuſdem doctoris Angelici doctrina voluntatem noſtram concurrere paſſiuè, cõcurrere negatiuè reſpectu illius principii extrinſeci ipſam determinãtis, concurrere autẽ actiuè, efficienter, & poſitiuè, reſpectu principij intrinſeci, quæ eſt ipſiúſmet volũtatis libertas. Et ideo potius dicendũ eſt voluntatẽ ſe efficienter determinare, quam quod paſſiuè ab alio determinetur, cum primum ei conueniat ab intrinſeco, hoc vero ſecundum ab extrinſeco iuxta illud, faciam vt fa-

Proprius dicimus voluntatem ſe determinare, quam determinari.

Digitized by Google

ciatis,faciam vt ambuletis.

Ideò pro huius quæſtionis complemento,Notandum eſt diligentiſſimè,id quod doctiſſimus pater Bannes 1. p. q. 19.art.10.dubio 1.docet,vbi ſic ait.Quotieſcunq; actus voluntatis oritur ex prędicta radice iudicii intellectus ſemper erit liber. Vnde rurſus colligo (ait) quicquid antecesſerit, vel comitabitur, vel ſuperuenerit ad actum volũtatis, ſi non tollat iudiciũ illud circa mediũ reſpectu finis,non deſtruet libertatẽ operationis. Hæc cõſequentia euidẽs eſt:quia ſtante deffinitione actus liberi,neceſſe eſt actũ eſſe liberum.Antecedit quidẽ operationem noſtram liberam , diuinæ volũtatis æternum, & immutabile conſilium ſiue diuinæ prouidentiæ infalibilis prædeffinitio,qua omnẽ bonam operationem liberam prædeffiniuit: Immo & omnem operationẽ inquantum bona eſt. At vero quia ipſe Deus ſua prouidẽtia & immutabili cõſilio, non ligat neq; deſtruit iudiciũ noſtrũ,quo iudicamus indifferẽtiã medij & ordinabilitatẽ eius, & ordinabilitatẽ eius, vt ordinandũ eſt ad finẽ: nõ etiã noſtræ operationis libertatẽ deſtruit;ſed potius illã efficaciter efficit,fa-

uet atq; conſeruat. Ecce quomodo cum diuina prouidētia infallibili & efficaci, ſtat noſtræ operationis libertas. Immò ſine illa ſtare nō poſſet. Iam vero de gratia Dei & diuinis auxiliis efficacibus planius intelliges quo pacto noſtræ volūtatis libertati non aduerſentur, ſed potius faueant. Ratio euidens eſt; etenim vniuerſa hæc tantum abeſt vt noſtræ rationis iudiciū perturbent, aut ligent, vt ne poſſit prædicto modo iudicare indifferentiam obiecti, quod potius illuminent atque perficiāt, & ad Dei ſimilitudinem transferāt in quo non alia ratio libertatis inuenitur reſpectu illorum quę extra ſe vult, niſi qua iudicat illa non habere neceſſariam cōnexionem cum fine, ſed eſſe ſecundum ſe indifferentia: iudicat tamen ordinabilia eſſe ad finem & iudicat ordinanda eſſe. Et hæc ratio quare velle ordinare liberum eſt. Hæc ille.

Deus auxilio efficaci non ligat iudicium intellectus.

Sed noſtram concluſionem validiſſimis impugnant rationibus aduerſarii: nam Fonſeca in ſexto q. 5. ſect. 8. ita argumentatur. Si neceſsè eſt voluntas creata per concurſum effectiuum primæ cauſæ, ad alteram oppoſitionis partem determinetur, ſaltem ad actus bo-

Argumenta aduerſariorum contra concluſionem.

Digitized by Google

nos aut indifferentes. Vel ea neceſſitas naſcitur ex imbecillitate voluntatis noſtræ,ob quam fortaſſe indiget vt efficaci motu ab eo effectiuè trahatur ad bonos actus exercendos, potiſſimum vero ad ſupernaturales:vel certè naſcitur ex dignitate ipſius diuini concurſus quem videtur fas non eſſe, cogitare non eſſe efficacem, at neutrum eſt dicendum, non igitur cur opus ſit voluntates creatas efficaciter determinari à Deo huiuſmodi concurſu. prior aſſumptionis pars ex eo probatur; quia nemo iurè dicet, voluntatem noſtram vt ſe determinet ſaltem ad bona moralia non difficilia, qualia ſunt gratificari benè merenti, dirigere in biuio errantem & ſimilia eſſe inſufficientem, vt interim mittamus moralia difficilia, & omnia ſupernaturalia. Poſterior pars ex eo patet quia non ſolum fas eſt;ſed etiam maximè decet diuinum concurſum, ita rebus applicari, vt earum naturas propriaſque operationes non lædat, læderet autem libertatem creatæ voluntatis,ſi illam efficienter ad alteram oppoſitionis partem determinaret, nec integrum ei relinqueret,vt ipſa vtramuis eligeret.

Digitized by Google

Secundo Suares lib. 1. cap. 10. ſic diſputat. Poſſumus autem argumentari vno modo ex principio efficiente extrinſecò, à quo hæc prædeterminatio procedit: alio modo ex ipſa formali determinatione, quæ voluntati imprimi dicitur prius natura quam operetur. Ex priori capite argumentor in hunc modum. Si Deus efficaciter ac Phyſicè prædeterminat volumtatem ad aliquid volendum, id facit ex abſoluta, efficaci, & prædefinitiua voluntate, qua vult hominem ita prædeterminare vt omnino velit id, ad quod ipſum prædeterminat, ſed voluntas humana non ſolum non reſiſtet, ſed nec reſiſtere poteſt efficaci voluntati Dei prædeterminantis illam: ergo poſita illa motione non ſolum operabitur; ſed etiam non poterit non operari, ſeu (quod idem eſt) non poterit reſiſtere illi motioni, alias reſiſteret voluntati Dei. Maior eſt receptiſſima à prædictis auctoribus, nec eam negare poſſunt, nisi omnino tollant has Phyſicas prædeterminationes, quia eas potiſſimum introduxerunt vt totam diuinam prouidentiam in his voluntatibus efficacibus, & prædefinientibus fun- *Illa prædeterminatio eſt & efficacia diuinæ voluntatis.*

Digitized by Google

dari docerent quod poſtea videbimus. Denique ſi illa prædeterminatio non eſſet ex efficaci voluntate Dei non haberet vim ad determinandam voluntatem hominis efficaciter, vt ipſi volunt, quia non poteſt illam habere, niſi ex efficaci voluntate Dei: nec etiam hæc prædeterminatio eſſet efficax vt voluntas actu, moueatur & cooperetur, quia ex illorum ſententia voluntas creata numquam actu aliquid vult, niſi prius volũtas increata efficaciter velit & præordinet illam id velle. Eſt ergo certa illa maior propoſitio in horum auctorum ſententia. Minor verò de fide eſt, & enim Paulus ait: voluntati eius quis reſiſtit? Niſi fortè reſpondeant Paulum non dicere. Quis poteſt reſiſtere, ſed quis reſiſtit? Eaque ratione non eſſe ipſis contrarium, quod non doceant voluntatem humanam à diuina efficaciter motam ei reſtituram, quod Paulus negat; ſed ſolum poſſe ei reſiſtere quod Paulus non negat. At enim, quis non dicat, fugam hanc videri contra mentem, Pauli, imo contra communem ſenſum? illa etenim admiratio & interrogatio hanc vim habet, quis potens eſt

ad reſiſtendum? Sed, & ſi in verbo, poteſt, vis fiat, hoc etiam ipſum ſcriptura non tacuit, Eſther 13. Non eſt qui poſſit tuæ reſiſtere voluntati. Hæc ille.

Tertiò arguitur ex auctoritate Concilij Tridentini ſect. 6. cap. 5. vbi ſic habetur. Declarat ſancta Synodus iuſtificationis exordium in adultis à Deo per Chriſtum præueniente gratia ſumendum eſſe, hoc eſt, ab eius vocatione qua nullis eorum exiſtentibus meritis, vocantur, vt qui per peccata à Deo auerſi erant per eius excitantem atque adiuuantem gratiam, ad conuertendum ſe, ad ſuam ipſorum iuſtificationem, eidem gratiæ libere aſſentiendo, & cooperando diſponantur, ita vt tangente Deo cor hominis per Spiritus ſancti illuminationem, neque homo ipſe nihil omnino agat inſpirationem illam recipiens, quippe qui & illam abiicere poteſt, neque tamen ſine Dei gratia mouere ſe ad iuſtitiam coram illo libera ſua voluntate poſſit.

Bannes 1. p. q. 14. art. 13 ad primum Cumel multis locis Medina 1. 2. q 109. art. 10.

Si dicas quod Concilium ſolum aſſerit voluntatem excitatam poſſe reſiſtere, non vero negat manere Phyſicè determinatam per talem excitationem:

quia hæc determinatio cum illa potentia non repugnat. poteſt enim eſſe facultas determinata ad operandum vnũ, etiam ſi poſſit operari aliud. Contra hoc inſurgit Suares aiens. Sed hæc reſponſio vel repugnat Concilio, vel in ſe inuoluit repugnantiam. Quod ita breuiter declaro (ait) non repetendo ſuperius dicta. Quando enim dicitur, potentiam ad conſentiendum determinatam poſſe diſſentire: aut eſt ſenſus compoſitus, ſcilicet ſtante forma illa determinante ad conſenſum, poſſe ſimul cum illa eſſe diſſenſum: & hæc eſt aperta repugnantia, & contradictio, nam formam Phyſicè determinare potentiam ad conſenſum, nihil aliud eſt, quàm ex vi ſua ſeu ſuppoſito, quòd ipſa adhæreat potentiæ, neceſſario ſecum afferre ſeu coniunctum habere conſenſum: neque nos aliud docere intendimus, cùm dicimus gratiam excitantem non determinare Phyſicè voluntatem ad conſenſum, niſi hoc ex ſe & vi ſua non neceſſario illum inducit, etiam facta tali ſuppoſitione. Vnde ſi nobis conceditur cum illa excitatione adhuc poſſe non eſſe conſenſum, nihil aliud intendimus,

Digitized by Google

quod autem ſimul ſint conſenſus & diſſenſus, vel negatiuus cõſenſus, planè eſt impoſſibile. Vnde etiam dici non poteſt, manere quidem in homine potentiam ad diſſentiendum, etiam cum illa compoſitione, id eſt, ſtante illa excitatione: nunquam tamen vſurum hominem hac potentia ſua, hoc enim eadem ratione improbatur: quia homo non ſolum nunquam efficit contradictoria; ſed nec facere poteſt: contradictio autem eſt quod ſimul conſentiat, & diſſentiat: ſi ergo neceſſario conſentit ex tali ſuppoſitione, non habet potentiam ad conuincendum diſſenſum cum tali ſuppoſitione quod propriè pertinet ad ſenſum compoſitum. Item inferior vis non ſolum nunquam vincit ſuperiorem, ſed neque vincere poteſt aut impedire: ſed illa gratia efficax dicitur ex ſe tam potens, vt neceſſario inducat ſuum actum: ergo voluntas creata non ſolum non impediet illam, ſed neque impedire poteſt. vel certè, ſi poteſt, non eſt vnde ſit infallibile ex vi cauſarum, quod nunquam impediet. Eſt denique hoc contra mentem Concilij, nam ſicut ſupra dicebam de poteſtate conſentien-

Contradictio eſt quod homo ſimul conſentiat & diſſentiat.

di, ita hic planè dicendum eſt de poteſtate diſſentiendi, nimirum, non loqui Concilium de poteſtate Metaphyſica, vel quæ ſit de nomine tantum, ſed de potentia morali; & quæ in re ipſa verè ſubſiſtat, ita vt aliquando poſſit in actum reduci, alioqui fit ridicula hæreticis doctrina Concilij.

Auxilium efficax eſt neceſſariũ tũ propter ſubordinationem voluntatis, tũ etiam propter voluntatis indifferentiam.

Ad primum igitur reſpondeo auxilium efficax Phyſicum vtroque modo eſſe neceſſarium voluntati, tum ſcilicet ratione ſuæ debilitatis & indifferentiæ, tum etiam ratione ſubordinationis: ſed ratione primi non ſequitur, ipſum libertatem lædere; Ideoque ratio petit principium (pace tanti viri dixerim) hoc namque ab initio probare debebat nam contra ponentes tale auxilium, & tenentes illud nullòmodo rationem minuere libertatis, vanum eſt hoc aſſumptum, & futilis quæ inde trahitur conſequentia. Dicendo, auxilium tale lædit libertatem, ergo non eſt admittendum, cùm aſſumat tanquam verum quod præcipuè probandum erat illo prolixo argumento, quod propterea de verbo ad verbum totum attuli, vt videas quomodo in vanum multiplicant

ſermonem. Dico vlterius tale auxilium eſſe etiam neceſſarium ex dignitate ipſius diuini concurſus, vt concluſione ſequenti manifeſtum erit, ſed omnia illa incommoda male inferuntur à Fonſeca; quia nos tantum loquimur de illis operibus, quæ homo in ſtatu naturæ lapſæ viribus propriis attingere nequit, vel moralia vel ſupernaturalia ſint, adquæ ſolum eget diuina determinatione.

Ad ſecundum vbi eſt maior difficultas, & in quo tota ſpes poſita eſt aduerſariorum, reſpondetur. Concedendo Deum prædeterminare Phyſicè voluntatem noſtram in tempore ex efficaci, & abſoluta ſua voluntate. Amplius voluntati Dei nullam creaturam de facto reſiſtere, ſed nego inde ſequi deſtrui libertatem: quia Deus ita vult efficaciter effectus liberos, vt etiam velit eos liberè euenire. Imo hoc eorum argumento probabo reſponſionem eſſe neceſſariam, & optimam, ſic: voluntati Dei nullus reſiſtit neque reſiſtere poteſt: ſed Deus vult efficaciſſime effectus iuſtificationis libere euenire auxilio efficaci, ergo auxilium efficax non deſtruit neque arbitrium lædere poteſt,

Argumentum ſuper quod fundatur corũ opinio.

ſed exſequitur abſolutum Dei decretum, ſecundum modum creaturæ conformem & proportionatum. & hoc eſt abſque dubio, quod ſanctiſſimus præceptor docere intendebat in illa reſponſione ſæpius citata ad ſecundum. Moueri voluntariè eſſe moueri ex ſe ideſt à principio intrinſeco, ſed illud principium intrinſecum poſſe eſſe ab alio principio intrinſeco. Nec valet ſi dicatur; dicere quidem Diuum Thomam voluntatem moueri à principio extrinſeco; ſed non docere talem motionem eſſe Phyſicam ſeu efficacem: Quia ſi Diuus Thomas loqueretur non de motione efficaci & Phyſica: non ſic contra ipſum diſputaret. Quod mouetur ab alio extrinſeco cogitur. Loquebatur igitur de aliqua vocatione efficaci quæ primo aſpectu videtur conturbare libertatem, (vt aduerſarij exiſtimant.)

Sed neſcio quare tot multiplicant ſermones aduerſarij, qui non ſolùm noſtram aſtruunt concluſionem, ſed eorum penitus deſtruūt poſitionem, nam ſi hæc conſequentia eſt demonſtratoria, ſi Deus hoc vult voluntate efficaci & decreto abſoluto, hoc nō poterit libere

euenire,

euenire, ſequeretur, vel quod effectus prædeſtinationis non libere eueniunt, vel quod ſalus eorum qui de facto iuſtificati ſunt, non ſit volita à Deo ſecundum abſolutum & efficax decretum ſuæ voluntatis, quod ſicut hæreticum puto, ita aduerſarios illud minimè docere exiſtimo (vt ſupra dictum eſt.) Si dicant aliud eſſe loqui de abſoluto decreto cui nulla antecedit ſcientia media, & aliud de efficaci Dei voluntate, quæ includit ordinem eſſentialem ad illam. Contra illa ſcientia media non contemperat abſolutum decretum diuinum, nec illius minuit efficacitatem, quia poſita illa ſcientia: ſemper eſt vera hæc propoſito, voluntati Dei abſolutè & nutui efficaci nullus reſiſtit: imò nec reſiſtere poteſt. igitur ego etiam dicam, non ſatis eſſe conſiderare efficacitatem auxilij & infallibilitatem diuinæ voluntatis; ſed videre eſt modum quo tales effectus infallibiliter vult euenire.

Reflectitur ratio adverſariorũ contra ipſos.

Sed amplius contra Suarez non diſputabo: Nam ipſemet apertiſſimè docet, hanc ſuam rationem nullius momenti eſſe, cùm vnico medio, & eadem ratione, loco ſupra citato, probet tales

Digitized by Google

prædeterminationes Phyſicas, ſi darentur, ita ad vnum determinare voluntatem, ſic determinatè & certò, obtinere effectum, vt videatur, nullus relinqui locus libertati. Libro vero ſecundo de ſcientia conditionatorum, cap. 4. contendit ad poſitionem huius Phyſicæ prædeterminationis, nullum poſſe ſequi effectum infallibiliter; ſed omnia caſu accidere: ſic enim ait. Eandem omnino vim habet ratio, quæ ex efficaci vocatione, ſeu ex præuenienti auxilio ſumi poteſt, nam quod ſit aliqua vocatio ita efficax, vt certum & infallibilem habeat effectum, quatenus ex intentione Dei procedit, ſatis in ſuperioribus oſtenſum eſt, tam ex modo loquendi ſacræ ſcripturæ, quam ex doctrina patrum; præſertim Auguſt. & Chryſoſt. Ac per ſe ſatis certum apparet, pertinere maximè ad ſuauitatem ac efficaciam diuinæ potentiæ & prouidentiæ ſupernaturalis, vt poſſit quò velit corda conuertere, & quomodo velit; vel vt poſſit ita interius ſuadere, vt efficaciter perſuadeat: vel denique poſſit ita interiùs docere, vt non ſolum homo diſcat, ſed etiam diſcendo videat, videndo ap-

Contradictio maxima in dictis Suares.

Digitized by Google

petat, & appetendo perficiat, (hæc omnia faciunt pro me, ſolùm enim hoc volo, Deum poſſe conuertere corda, quæ vult conuertere, abſque eo, quòd cordis deſtruat libertatem.) At verò, (ſequitur,) niſi hæc ſcientia conditionata ſupponatur, non poterit eſſe vocatio ita efficax, vt omnino infallibilem habeat effectum, ita vt, poſita præfinitione, implicet contradictionem non fieri.

Et in argumento propoſito ita ait. Ergo poſita illa prædeterminatione, nõ ſolum operabitur, ſed etiam non poterit non operari, ſeu, quod idem eſt, non poterit reſiſtere illi motioni, aliàs reſiſteret Dei voluntati. Hæc ille. Nonne hæc ſunt contradictoria? Nonne in vna ratione probat contrarium eius, quod ſe demonſtraſſe in alia videbatur? nam ſi per determinationẽ Phyſicam & efficacem voluntas non poterit non operari, ergo effectus, mediantibus his efficacibus prædeterminationibus prouenientes, infallibiles erunt, & non caſuales & accidentales, alterum certe ex his ſequi neceſſe eſt.

Ad auctoritatèm Concilij reſpondeo ſolutionem ibi datam eſſe optimam,

Quomodo intelligantur verba Concilij.

nec repugnat Concilio, Imò nec inuoluit contradictionem : nam poſito auxilio efficaci, hæ propoſitiones ſunt Catholicæ, voluntas poteſt illi reſiſtere, & poteſt illi non reſiſtere, ſi tamen cum grano ſalis intelligantur, quod nobis dedit illud viuum ſal terræ diuinæ voluntatis interpres, loco primæ partis ſæpè citato, ſcilicet voluntatem motam illo auxilio efficaci etiam in ſenſu compoſito poſſe diſſentire ab intrinſeco, quia illa motio efficax non deſtruit internam naturam voluntatis, non poſſe autem ab extrinſeco ; quia Deus ita ſuauiter linit voluntatem vt infallibiliter tandem fiet id, quod ipſe futurum ab æterno decreuit, quod ſatis confirmabitur verbis ipſius Suarez ſupra citatis.

Digitized by Google

CONCLVSIO TERTIA.

Auxilium efficax ſe habet antecedenter ad determinationem voluntatis.

THOMISTARVM ſemper fuit opinio, effectum quemlibet à cauſa ſecunda productum, prius natura à cauſa vniuerſaliſſima dependere, ſiue naturalis ordinis, ſiue ſupernaturalis ſit; nam ſi cauſæ ſecundæ non mouent niſi motæ, iuxta commune illud peripateticæ ſcholæ: efatum 7. Phyſicorum. Sanè oportet eas antequam aliquid moliantur præuio illo influxu concitari, & in hac conueniunt omnes aduerſarij. ſed quæſtio eſt de illa prioritate naturæ, an

Effectus quicunque ſemper prius natura dependet à prima cauſa.

ſcilicet ſit prioritas perfectionis,& independentiæ;an cauſalitatis & influxus in effectum; an cauſalitatis in operando & præmouendo ſecundam:ideo aduerſarij in hoc omnes conueniunt primam cauſam dici priorem, natura non, quia prius cauſet; ſed quia independenter. Nam Fonſeca in 6. q.5. ſect.8,ita loquitur. Quo loco animaduertendum eſt, non ideo primam cauſam dici prius natura ad actionem ſecundæ concurrere, quam ipſam ſecundam, quia prius, aut tempore, aut natura efficiat aliquid in effectu ad quod ſecunda non cōcurrat: Sed duabus potiſſimum rationibus id dici ſolere. Vna quia cauſa prima agit independenter, ſeu virtute & efficacia ab alio non accepta: ſecunda autem nō agit niſi ea virtute & efficacia, quam à prima accepit. Altera quia effectus proprius & adæquatus primæ cauſæ & qui nulli ſecundæ adæquatę reſpondere poteſt,eſt ipſum eſſe rerum, ſiue eſſentiæ, ſiue exiſtentiæ,quod commune eſt omnibus effectibus adæquatis cauſarum ſecundarum: tametſi prima cauſa cum per ſecundas aliquid agit, eis largiatur vt etiam illud commune & cætera in-

Prima cauſa agit indepedenter.

termedia ſecum efficiant. Patres etiam Conimbricenſes 2. Phyſic. q. 13. art. 2. ſic aiunt. Quod de prioritate diuini concurſus obiiciunt, parum habet momenti. Nullo pacto concedendum eſt Deum prius natura agere ratione alicuius prioris concurſus, quem directè immitat in cauſam agẽtem vt eam corroboret & ad operandum excitet, cùm is non detur. Nec etiam ratione illius quo actionem & effectum cauſæ ſecundæ immediatè attingit, quaſi aut totum aut aliquam eius partem per ſe prius producat abſque conſortio cauſæ ſecundæ. Fatendum tamen eſt Deum ſecundum huiuſmodi influxum, prius agere duplici conſideratione. Vna eſt quia priora natura dicuntur quæ perfectiora ſunt, quo pacto ſe habet diuinus concurſus qui cauſarum ſecundarum concurſu, multo eſt excellentior. Altera eſt qua priora vocamus ea à quibus non retro comeat conſecutio. Nec enim ſi detur concurſus diuinus abſolutè, ſequitur dari concurſum ignis & ſi contra ex eo, quod detur concurſus ignis rectè colligatur dari diuinum concurſum.

Deus nullo modo prius concurrit.

Digitized by Google

Hoc etiam habet Suares in opuſc.lib. 1. cap. 4. circa finem vbi ſic ait. Tamen vt illam et actio ad duas cauſas, primam ſcilicet & ſecundam, dicit reſpectum, ratione à nobis diſtinguitur ſecundum illas habitudines: & hoc modo dicitur aliquando eſſe prior natura, vt eſt à cauſa prima: non prioritate cauſalitatis, ſed vel nobilitate cauſæ primæ, quæ altiori modo, & nobiliori, magiſque independente influit, vel quia influxus cauſæ primæ, in quadam priori ratione fundatur, eſt enim neceſſarius eius influxus ex generali ratione entis creati, quæ in effectu cauſæ ſecundæ reperitur: cauſa autem ſecunda ſemper influit ex peculiari aliqua ratione entis in ſuo effectu inuenta: vel denique quia inter influxum cauſa primæ & ſecundæ ex ſuo genere non eſt mutua conuerſio: poteſt enim eſſe prior ſine poſteriori, non tamen è contrario: quam etiam Ariſtoteles vocauit quandam naturæ prioritatem. Sicut etiam dicunt auctores cauſam primam immediatiùs concurrere, quàm ſecundam: quod non poteſt intelligi quantum ad negationem medij influxus; nam re vera influxus

Prima cauſa dicitur prior quia eſt nobilior.

cauſæ ſecundæ, etiam eſt omnino proximus, ita vt nullus alius propriè mediet inter illum & effectum. Immò hac ratione cauſa ſecunda communiter dici ſolet cauſa proxima, & vt ſupra dicebam multi ita loquuntur vt dicant cauſam ſecundam concurrere immediatè immediatione ſuppoſiti non autem primam. Dicitur ergo prima cauſa immediatius concurrere ſolum ob maiorem eius excellentiam ac nobilitatem neceſſitatemque; nam vtraque ratione videtur intimius eſſe in omni re & effectu. Hæc ille.

Quare prima cauſa dicitur immediatius concurrere.

Iſta opinio ab incunabulis mihi placuit, & certè clariſſima videtur, licet quod dicit nulla ratione confirmet, Neque alicuius grauis auctoris auctoritate munitur, quam etiam amplecterer libenter, ſi doctor meus contrarium non docuiſſet. Diſplicet tamen vehementer quod patres Conimbricenſes, & Suares vbi ſupra dicant opinionem eorum ex reuerendiſſimo Caietano deſumpſiſſe 1.p.q.14.art.13.& q.8 art.1.vbi de hac re nullum habet verbum: quin immò & idem Caietanus 1. p. q. 105. art. 5 Hæc verba habet. Tertio proponit conclu-

Aduerſarii dicunt eorum opinionem eſſe ex Caietano.

ſionem reſpõſiuam in ſpeciali iuxta hæc tria membra, Deus in quolibet operante operatur ſecundum hæc tria, ſ. finem, & agentem, & formam, & probat quoad ſingulas partes ſigillatim, deinde, ſimiliter in ratione agentis. Primum agens mouet ſecundum ad agendum, ergo ipſe eſt cauſa omnium actionum agentium. Hæc ille. Profecto cum opinionem quam defendimus, eſſe diui Thomæ fateantur aduerſarii, difficile erit illis, contrarium ſenſiſſe Caietanum nobis perſuadere. Scias igitur Caietanum, locutum fuiſſe locis ab aduerſariis citatis de influxu primæ cauſæ in effectum, & operationem, non autem in cauſam; niſi in loco vltimo citato. Ideo eius verba placuit tranſcibere, vt videas in vanum aduerſarios pro ipſis habere Caietanum, gloriari. Nam q. 14. ſic ait (arguens contra ſeipſum.) Cauſa prior prius naturaliter, & ſimpliciter reſpicit effectum quam cauſa poſterior; ergo in illo priori cauſa prima dabit effectui neceſſitatem. Igitur in ſecundo inſtanti naturæ, cauſa proxima non poteſt eidem dare contingentiam. Ad quod reſpondens ait. Ad ſecundam ob-

Verba Caietani.

iectionem dicitur quod illa prioritas vniuerſaliter non eſt ſecundum aliquam quaſi durationem naturæ, vt vno inſtanti naturæ effectus attingatur à prima cauſa, & in alio à ſecunda(ecce quomodo loquitur de influxu in effectum) ſed eſt ſecundum independentiam & immediationem virtutis; quia prior independentius & immediatius immediatione virtutis attingit effectum, quam ſecunda,in eodem tamen inſtanti naturæ, effectus ab vtraque attingitur. Hæc ille. Vbi nullum verbum habet de modo quo Deus influit in ipſam cauſam ſed ſolum de influxu ineffectum, neque nos illum negamus; ſed quærimus. Num Deus habeat ſe antecedenter præmouendo ipſam cauſam ad ſuum effectum, de quo intelligitur noſtra affirmans concluſio: Diui Thomę auctoritate 1.p.q. 105. 3. contra gentes cap. 7. Ferarienſis ibidem. Capreoli in 2. diſt. 1. q. 2. Cumel 1. p. q. 8. art. 1. diſp. 2.& omnium Thomiſtarum fulcita , & validiſſimis rationibus corroborata: quarum primam deſumpſi ex illo cap. contra gẽtes vbi doctor Angeli-

In quolibet agente duo eſt conſiderare ſ. rem quæ agit, & virtutemque.

cus ſic loquitur. In quolibet enim agente eſt duo conſiderare ſ. rem ipſam quæ agit & virtutem qua agit ſicut ignis calefacit per calorem: virtus autem inferioris agentis dependet à virtute ſuperioris agentis, in quantum ſuperius agens dat virtutem ipſam inferiori agẽti per quam agit vel conſeruat eam, aut etiam applicat eam ad agendum: ſicut artifex applicat inſtrumentum ad proprium effectum, cui tamen interdũ formam non dat, per quam agit inſtrumẽtum, nec conſeruat, ſed dat ei ſolũ motum. Oportet igitur quod actio inferioris agentis non ſolum ſit ab eo per virtutem propriam: ſed per virtutem omnium ſuperiorum agentium. Et ſicut agens infinitum inuenitur immediatum actiuum, ita virtus primæ agentis inuenitur immediata ad producendum effectum. Hæc ille.

Tempus eſt vt aduerſarii expellant & reiiciant doctorem melliſluum, cum nõ poſſint amplius mentem eius in contrarium ſenſum contorquere, ſatis enim apertè loquitur. Ideo patres Conimbricenſes vbi ſupra, & ſi articulo primo dicant opinionem hanc diui Thomæ eſſe

Digitized by Google

celebrem, ſequenti tamen, dicunt non eſſe ſequendam neque probandam quia (aiunt) res abſque neceſſitate multiplicat. Immo (addunt) ſi res creatæ nihil omnino abſque præuia illa excitatione moliri queunt, ſequitur excitari, inuitáríque à Deo etiam ad peccata & actus vitioſos, quod nemo dicet.

Et Suares lib. 1. de cõcurſu Dei cum voluntate, ita loquitur. At enim quando omnis ratio ad hæc impugnanda deeſſet; quis ea credet, ſine, ratione ſine auctoritate (ac ſi ratio diui Thomæ non eſſet ratio, & quod auctoritate Thomiſtarum dicitur, abſque auctoritate diceretur) & abſque vllo indicio talis qualitatis, quod ex effectibus cauſarũ, ſecundarum ſumi poſſit. Quis inquam (ait) virtutem ſolis ad illuminandum in ordine cauſæ ſecundæ incompletam eſſe? aut viſum optimè diſpoſitum & perfectè informatum ſpecie, ad hoc indigere alio extrinſeco complemento? Aut voluntatem charitate infuſa affectã adhuc imperfectam eſſe in ratione actus primi? Certè hęc & ſimilia per ſeſe ſunt ſatis incredibilia. Veruntamen non deeſt etiam ratio qua falſa eſſe oſtendantur. *Suares exclamat contra D. Thomam.*

Quando actio vel effectus non excedit perfectionem cauſæ, non eſt cur excedat virtutem eius in ſuo ordine; ſed calefactio & calor ab igne productus, non excedit perfectionem ignis, ſeu caloris quo ipſe calefacit; ergo neque excedit virtutem actiuam eius: erit ergo in calore illo virtus completa in genere cauſæ proximæ, ad ſimilem calorem producendum.

Secundo, Si Deus prius agit cauſam ſecundam compleat virtutem eius, ſumo virtutem cauſæ vt completam per illam qualitatem intentionalem, ſeu tranſeuntem, vt verbi gratia ignem vt affectũ ſuo calore & illa qualitate: tantum hoc compoſitum habet rationem cauſæ ſecundæ ac proximæ reſpectu caloris producendi, & in ſuo genere eſt cauſa completa; indigétque nihilominus actuali concurſu Dei concomitante; ergo vel indiget etiam alio auxilio præmouente & complente virtutem, & hoc dici nõ poteſt quia hoc modo procederetur in infinitum, & nũquam virtus cauſæ proximę compleretur ad agẽdum; vel ſi non indiget alio auxilio, ſed ſufficit tali cauſæ concurſus ille conco-

mitans, idem dici poterat de ipſa ſecunda cauſa vt præciſè conſtituta ſua naturali virtute agendi in ſuo ordine ſufficiẽte ad talem effectum. Probatur conſequentia quia ſi ex forma quæ erat in cauſa ſecunda, calore verbi gratia, & illa qualitate intentionali completur virtus cauſa ſecundæ, cur non potuit Deus dare creaturæ virtutem ſeu qualitatem aliquam ita perfectam, vt haberet ex ſe totam illam efficacitatem, quæ fingitur compleri ex duplici illa qualitate: quandoquidem tota illa non excedit capacitatem agentis creati; vel ſi potuit ita fieri, cur negabimus ita factum eſſe?

Molina etiam 1. p. q. 14. diſp. 6. ita ait. Duo autem ſunt quæ mihi difficultatem pariunt circa doctrinam hanc diui Thomæ. Primum eſt, quod non videam quidnam ſit motus ille & applicatio in cauſis ſecundis, qua Deus illas ad agendum moueat & applicet. Duo namque ſunt inſtrumentorum genera (reprehẽdit implicitè diuum Thomam in eo, quod ratione ſupra allata attulit exemplum de artifice.) Quædam quę non habent integram virtutem ad operationem, qualia ſunt inſtrumenta artis: atq;

Doctrina D. Thomæ videtur difficilis Molinæ.

Duo genera inſtrumentorum. hæc indigent motu & applicatione alterius agentis, vt aliquid efficiant: dolabra enim licet acumen & duritiem habeat quibus ad ſcindendum ſit apta; quia tamen ea virtus non eſt ſufficiens ad præſtandum effectum opus eſt motu ſuperaddito; tum vt imprimatur ei vis & impulſus ad ſcindendum neceſſarius; tum etiam vt admoueatur diuerſis partibus ligni. Alia vero ſunt inſtrumenta quæ vel habent integram virtutem ad generandum, vt ſemen deciſum à generante, vel ſunt ipſamet integra virtus, vt calor ignis, & cæteræ virtutes naturales. Atque huiuſmodi inſtrumenta ſi ſint aptè coniuncta non indigent motioni & applicationi ſuperadditæ, à cauſis principalibus. quare ingenuè fateor mihi valde difficilem eſſe ad intelligendum motionem & applicationem hanc, quam diuus Thomas in cauſis ſecundis exigit.

Iuxta doctrinam D. Th. ſequitur neceſſario Deum non concurrere, immediate Secundum quod mihi difficultatem parit eſt: quia iuxta hanc ſancti Thomæ doctrinam, Deus non concurrit immediatè immediatione ſuppoſiti ad actiones & effectus cauſarum ſecundarum. ſed ſolum mediatè mediis, ſcilicet cauſis

ſecundis.

ſecundis. Etenim tam virtutes cauſarum ſecundarum quas Deus confert & conſeruat quam etiam motus & applicatio earum in ipſis ſunt cauſis ſecundis. Hæc ille. *cum cauſis ſecundis.*

Vt huius rei perfectam poſſis, & plenam habere notitiā & omnium aduerſariorum ſoluere obiectiones. Aduerte, hominem ita ſe habere reſpectu actionũ ſupernaturaliũ & omnium moraliũ, ſicut ſe habet quælibet creatura corporalis, & homo ipſe in his quæ viribus propriis attingere poteſt: ita vt ſicut creaturæ corporales non poſſunt agere, niſi prius agantur & moueantur motione primi mouentis: ita homo non poteſt obiecta ſuas vires excellentia attingere, niſi prius aliquo auxilio ad has actiones pereundas determinetur: ſed cum hac differentia quod prima motio dicitur influxus per modum intenſionis tranſeuntis, & eſt ordinis naturalis. Secunda autem, dicitur auxilium efficax & eſt ordinis ſupernaturalis, cum eleuet ad id ad quod rei natura vires non habet. Immò primus influxus, non eſt qualitas ſuperaddita virtuti cauſæ,

Digitized by Google

Ignis enim comburit abſque aliqua alia ſuperaddita qualitate, & homo ſuis viribus & abſque aliquo eleuante auxilio aliquas actiones moraliter bonas exercere poteſt.

Homo viribus naturalibus ſe ipsũ determinat ad aliquod bonum morale.

Secundus autem eſt virtus virtuti naturæ adiuncta, ipſamque eleuans: & in hoc ſenſu dicũnt Theologi omnes hominem ſuis viribus poſſe ſe determinare in aliquod bonum, includitur enim ſemper in his locutionibus præmotio illa generalis, & cõmunis ille influxus. Hinc benè aiebat diuus Thomas 1. 2. q. 9. art. 1. in corpore ſic. Videmus autem in corporalibus quod ad motum, non ſolum requiritur ipſa forma quæ eſt principium motus ſiue actionis; ſed etiam requiritur motio primi mouentis, primum autem mouens in ordine corporalium eſt corpus cæleſte; vndè quantumcunque ignis habeat calorem perfectum non alteraret niſi per motionem corporis cæleſtis: Manifeſtum eſt autem, quod ſicut motus omnes corporales reducuntur in motum cæleſtis corporis, ſicut in primũ mouens corporale, ita omnes motus, tam corporales quam ſpirituales reducuntur in

Digitized by Google

primum mouens ſimpliciter, quod eſt Deus, & ideo quantuncunque natura aliqua corporalis, vel ſpiritualis ponatur perfecta (corporalis per virtutem naturalem, ſpiritualis per gratiam) non poteſt in ſuum actum procedere niſi moueatur à Deo. Hæc ille. Quo loco pater Conradus ait. Nota 2. quod non eſt minor ordo in intellectualibus quam in corporalibus, nam naturæ intellectuales ſunt prima pars & principalis vniuerſi, & per conſequens debet maior ordo inueniri. Hæc ille.

Dices ex his ſolum habetur eſſe neceſſarium primi mouentis influxum; ſed non quod præmoueat & præinfluat. Fateor hoc explicitè non eſſe contentum in illis verbis, ſed ex illis benè poteſt ſubſumi hæc conſequentia: ergo motus primi mouentis ſ. Dei prius natura mouet: nam ſi cauſa ſecunda dependeat in operando à prima: ergo hæc primo operabitur. Nec ſat erit dicere: ſufficere ad hoc prioritatem rationis, quia prioritas cauſæ non eſt prioritas rationis ſed naturæ, vt ait doctiſſimus Cumel.

Deus magis principaliter cõcurrit ad actum peccati, quam ipſa voluntas.

Et per hæc patet reſponſio ad argumentum Patrum Conimbricenſium quibus concedimus Deum non ſolum concurrere ad actum peccati;ſed etiam magis principaliter quam ipſa voluntas. Ideo pater Cõradus 1. 2. q. 79. art. 1. aiebat. Nota autem quod Deus non ſolum non impedit ſed principalius facit ſubſtantiam actus peccati quam voluntas ipſa. Sed intelligendum eſt quod Deus non impedit ipſam deformitatem quàm poſſet impedire. Hoc idem docet Medina loco ſupra citato aiens. Eſt autem aduertendum, & obſeruandum non indiligenter, in peccato duo eſſe diſcernenda; & actum peccati, & inordinationem. Primum nuncupatur à Theologis materiale; ſecundum verò formale. Hæc autem ſi ad inuicem conferantur, viderit apertè Theologus, inordinationem non eſſe intrinſecam actui peccati; quia actio peccati bona eſt, ſi quidem ens eſt: inordinatio verò mala: quinimò malitia eſt: malitia verò non eſt intrinſeca alicui bono. Sanè vt priuatio viſus non eſt de ſubſtantia oculi: ſed tamen eſt cæcitas ratio, & diffinitio: ita etiam inor-

Duo ſunt in peccato. factus, & inordinatio.

dinatio non eſt eſſentialis actui peccati. Quamobrem alia eſt habenda ratio adulterii, furti, homicidii, & aliorum id genus criminum, quæ intrinſecè mala eſſe, Theologi tradunt: alia verò ratio habenda eſt actus peccati, ſi ab inordinatione ſeiunctus, conſideretur. Nam commemorata crimina habent intrinſecam malitiam, quam exuere non poſſunt: ſed non ratione ſubſtantiæ actus, quæ cum bona ſit, non impartitur malitiam peccato: ſed illa ex inordinatione proficiſcitur. Vnde ſicut cæcus intelligi nequit citra priuationem, ita nec huiuſcemodi peccata ſine inordinatione. At verò actus peccati ſine inordinatione intelligi valet, quandoquidem bonus eſt. Immò poteſt amari ſine inordinatione: nam peccatores volunt frui actu peccati, & nollent inordinationem, quia vellent frui peccato, ſine peccato: id quod etiam ſi impoſſibile eſt, voluntas tamen eſt impoſſibilium. Non ergo ſubeat mirandum quod Deus velit actum peccati, & nolit inordinationem eiuſdem, tametſi connexa ſint actus peccati, & eiuſdem inordinatio. Vl-

Poteſt intelligi actus peccati abſque inordinatione.

timò eſt obſeruandum, quod licet Deus ſit cauſa actus peccati; non tamen deformitatis, quæ inde conſequitur: quia deformitas non ſequitur ex modo operandi Dei, ſed ex modo operandi creaturæ. Nam Deus cùm concurrit ad actum peccati, facit hoc conformiter ad regulam, non ſolùm quia ipſe eſt regula, quæ non habet ſuperiorem; ſed quia operatur ſecundum dictamen rectæ rationis: dictat enim recta ratio, quod primum agens permittat, & non tollat liberum arbitrium, & det ei neceſſaria ad operandum. Itaque quamuis Deus concurrat ad actum peccati, & defectum, non tamen concurrit defectuosè & peccando. Hæc ille.

Exemplum D. Thomæ.

Ad hãc rem declarandam aptiſſimum dat exemplum diuus Tho. 1. p. q. 105. art. 5. aiens quod Deus ſe habet cum cauſis ſecundis ſicut artifex cum ſecuri, ſed artifex primo mouet ſecurim & ipſam applicat ad ſcindendum, ergo & Deus primò mouet creaturas & cauſas ſecundas ad agendum. Adde quod ſi artifex eſt perfectiſſimus & indeficiens; ſi ſcindendo aliquis accidat defectus,

Digitized by Google

non artifici, ſed ſecuri eſt tribuendus.

Sed aduerte valdè diligenter inter modum concurrendi Dei cum cauſis naturalibus, & artificis cum inſtrumento. Nam artifex non aſſimilat effectum inſtrumento, ſed arti & Idolo, quod habet in mente: At Deus effectum aſſimilat in ſpecie cauſæ ſecundæ particulari vniuocæ, per quam, & cum qua agit. Rurſus, artifex non tangit effectum, niſi mediante inſtrumento; At Deus propter ſuam infinitatem, immediatè tangit ſua virtute effectum quemcunque, cùm ſit vbique eſſentia ſua atque potentia, & operatione præſentiſſimus. Concludamus ergo, motum illum eſſe tranſeuntem motionem, & concurſum Dei per modum fluentis in ipſa cauſa ſecunda, ſicut patet de motione artificioſa recepta in inſtrumento artis. Neque eſt qualitas, ſicut neque motio artificioſa eſt qualitas. Neque motus localis eſt qualitas, cùm eſt in mobili, ſed eſt motus & fluxus ille. Cur ergo non dicemus, moueri ſecundas cauſas à Deo, ſeu Deum influere in illas, & eum influxum eſſe motio-

Aliomodo Deus concurrit cum cauſis ſecundis, & alio artifex cum inſtrumento.

nē tranſeuntem,& quaſi artificioſam in ipſis, qua præmouentur ad operationes, quibus ſuos fines aſſequantur. Vndè ignis, quamuis ſine vlla mutatione ſui calorem in aquam producat: tamen non actu operatur, niſi ex influxu Dei, & concurſu in ipſum ignem, qui influxus per modum tranſeuntis ſemper eſt in ipſo, & hoc non ponit vllam mutationem de nouo in ipſo igne quando operatur.

Per præuias motiones nil additur ipſis cauſis ſecundis.

Et per hæc patet reſponſio Molinæ argumento. Scimus enim inſtrumenta artium non habere integram & completam virtutem, & ideo artificis egere motione: ſcimus præterea agentia naturalia habere integram virtutem, nec per has præuias motiones aliquid virtuti cauſæ adiungi volumus, ſed ſolùm requiri illam primæ cauſæ præmotionem vt influat, quoniam cauſæ ſecundæ in ſuis actionibus & operibus pendent ab influxu Dei in ipſas, quæ nequeunt ſe ſubſtrahere à tali concurſu & influxu Dei, qui attingit à fine vſque ad finem fortiter, non ſolùm actiones & eſſe: ſed etiam cauſas, & operationes earundem. Ad id igitur quod Molina ait, ſe non

videre quidnam ſit ille motus & applicatio in cauſis ſecundis, quia Deus illas ad agendum mouet & applicat; dico quòd ſi loquitur de viſione corporali, fateor & ego minimè talem applicationem & influxum videre; ſed neque etiam influxum in actiones video.

Si de intellectuali, dico, in illo eodem ſpeculo in quo videt, ad actiones eſſe neceſſarium primi mouentis influxum, videre poſſe eundem neceſſarium eſſe in ipſas cauſas, ſi velit. Ad id verò quod Suares ait (ſcilicet ſi omnis ratio ad hæc impugnanda deeſſet, quis ea credet ſine ratione, ſine auctoritate, & abſque vllo iudicio talis qualitatis?) Reſpondeo nos has præmotiones ponere innixos multis & efficaciſſimis rationibus, quas breuitatis gratia omitto & quas ſi Suares ſoluere potuiſſet locum optimè inueniſſet; Nam Diuus Thomas tertio contra gentes cap. 69. & 70. & 1. p. q. 105. & 1. 2. q. 109. pluribus hoc oſtendit demonſtrationibus. Ad id verò quod ait (ſine auctoritate) dico quod illud eſſet verum, ſi ipſius ſolum in ſcholis valeret auctoritas, & ſociorũ eius; Nam Diuus Thomas illud expreſsè docet, vt ipſe

Thomiſtarum nulla eſt auctoritas ſecundum Suares.

fatetur, idèmque Caietanus vt ſupra oſtendi, Capreolus in 2. diſt. 1. q. 2. Ferrarienſis in toto 3. lib. contra gentes, Moderni omnes etiam qui prædicatoria ſtola non ſunt induti, vt videre eſt doctiſſimum Cumel 1. p. q. 8. art 1. & quamplures alios à quibus diſciplina Theologica & peripatetica, mundo tradita eſt, quos cùm nullius ſint auctoritatis à parte relinquo, & ad Suares, qui hoc abſque auctoritate dicit, deuenio: & ad id quod ait (abſque aliquo inditio) concedendo illud eſſe verum: ſed nihilominus ſcio eum multa ſcire & cum veritate defendere, quorum nullum habet indicium, quale enim indicium habet quod Petro exiſtenti Melitæ albo vt quatuor, adueniat relatio realis, abſque aliqua Petri mutatione? ſed ex eo ſolùm quod Pariſiis naſcitur Paulus ſecundum eundem gradum albedinis? Nonne optimè nouit in quacunque ſubſtantiali generatione fieri vſque ad primam materiam reſolutionem, accidentiáque in cadauere non eſſe eadem quæ erat in viuo? ſed quis vnquam hæc vidit.

Multa ſcimus quæ nõ vidimus.

Sed id quod mihi diſplicet vehemen-

Digitized by Google

ter, eſt mendacium manifeſtum quod iſte bonus vir tribuit omnibus Thomiſtis, dicens eos tenere Deum ſolùm mediatè concurrere cum cauſis ſecundis: ſic enim loquitur lib.1.de concurſu Dei cum voluntate cap.6. de ſecundo membro in quo eſt difficultas, dicendum ſupereſt. Qui enim ponunt alium actualem influxum & generalem primæ cauſæ in ipſam cauſam ſecundam præter illum,qui eſt in effectum ipſius cauſæ ſecundæ, conſequenter dicunt per illum influxum non influere Deum immediatè ac per ſe in effectum cauſæ ſecundæ, ſed in ipſa cauſa efficere aliquid præuiũ & neceſſarium vt ipſa agat. Hoc autem præuium quidam eorum applicationem cauſæ ſecundæ ad agendum; alij motionem, alij complementum virtutis. Quo in actu primo conſtituatur,alij denique determinationem eiuſdem cauſæ ad ſuam actionem vocant. Diſplicet inquam mihi eum hoc dixiſſe. Primò, quia Diuus Thomas qui ſemper nos docet influxum Dei eſſe neceſſarium in cauſam ipſam, docet etiam Deum immediatè attingere effectum:

Molina falſo tribuit Thomiſtis, Deum concurrere ſolum mediatè.

Digitized by Google

Deus concurrit cum cauſis ſecũdis tum immediatione virtutis tũ etiam ſuppoſiti.

nam capite contra gentes citato, ſic ait. Et ſic virtus ſupremi agentis inuenitur ex ſe productiua effectus, quaſi cauſa immediata, ſicut patet in principiis demonſtrationum, quorum primum eſt immediatum. Sicut igitur non eſt inconueniens quòd vna actio producatur ex aliquo agente & eius virtute; ita non eſt inconueniens quòd producatur idẽ effectus ab inferiori agente & à Deo, ab vtroque immediatè, licet alio & alio modo. Hæc ille. Et alter Thomas Caietanus qui 1. p.q. 105. hanc opinionem edoctus eſt à ſuo magiſtro q. 8. eiuſdem primæ partis art. 1. ſic ait. Et propterea quanto agens eſt ſuperius, tanto immediatiùs agit immediatione virtutis: quoniam inferius agit virtute ſuperioris, & non è conuerſo. Immediatio autem ſuppoſiti, eſt quando inter ſuppoſitum agens & effectum, nullum mediat ſuppoſitum ſubordinatum coagens. Et propterea quanto agens eſt inferius, tanto eſt immediatius immediatione ſuppoſiti. Et quoniam hic eſt ſermo de ipſo Deo ſecundum ipſum, an ſit in rebus, ideo immediatio ſuppoſitalis eſt ad propoſitum: ita quod conſeqũens

Digitized by Google

illud intendit, quod Deus eſt in omnibus vt agens immediatum ſuppoſitaliter, id eſt, proximum & propinquiſſimum ſuppoſitaliter: ita quòd inter Deum & quamlibet rem, nullum mediet. Hæc ille. Et hi duo ſufficiunt pro antiquioribus. Ex modernioribus Pater Bannes in eodem articulo, ſic ait. Nam modus quo Deus concurrit immediatione virtutis, non excludit quòd concurrat immediatione ſuppoſiti: Imò quia virtus immediatè concurrens, eſt ipſe Deus, colligitur quòd Deus immediatè concurrat ſecundum ſeipſum. Confirmatur, Quia ſi immediatus concurſus excluderet alterius rei concurſum mediatum, non concurreret Deus immediatione virtutis ad efficiendum calidum, quando mediante igne concurrit: ergo ſicut virtus ignis media non excludit immediationem virtutis Dei; ita neque ſuppoſitum ignis medium, excludit immediationem ſuppoſiti Dei. Hæc ille. Et doctiſſimus Cumel in eodem articulo diſp. 1. ſic ait. Tandem Deus immediatè concurrit, tanquam prima cauſa, immediatione ſuppoſiti à nullo aliò ſuppoſito depen-

Modus cõcurrendi immediatione virtutis non excludit immediationem ſup.

dens, ſecunda verò cauſa ſuo ordine. Huic ſubordinata etiam immediatè concurrit, quoniam proprio ſuo ſuppoſito rem ipſam attingit; vt patet de igne generante ignem. Quin potius ſi immediatio ſuppoſiti alicui eſſet deneganda in agendo, maximè creaturis; Deo verò nullo modo: non eſt ergo trepidandum, ſed catholicè aſſeuerandum Deũ immediatiùs concurrere immediatione ſuppoſiti, cùm ipſum Dei ſuppoſitum immediatè ſit in omnibus rebus, & omnia impleat. Vides igitur quomodo omnes, tum ſeniores, tum iuniores, qui admittunt influxum in cauſam, docent conſequenter Deum agere non ſolùm immediatione virtutis; ſed etiam immediatione ſuppoſiti. Et ideo nõ eſt verum id quod dicit Suares, quod qui ponunt talem influxum, conſequenter dicunt &c.

Si dicatur, licet iſti omnes dicant Deum concurrere immediatione ſuppoſiti; tamen non conſequenter loquuntur: nam quomodo duo agentia poſſunt eſſe immediata immediatione virtutis & ſuppoſiti ad eundem effectũ producendum? & hoc eſt quod difficul-

tatem pariebat Molinæ, qui vbi ſupra ita aiebat. Quare ſi Deus his tantùm rationibus concurrit, profectò non influit immediatè immediatione ſuppoſiti in actus & effecta cauſarum ſecundarum.

Quomodo duo agētia poßint agere immediatè immediatione ſup.

Occurro cum patre Bannes, vbi ſupra aiente ſic. Quare reſpondetur ad obiectionem, quòd duo agentia, qualia ſunt Deus, & cauſæ particulares, concurrunt immediatione ſuppoſiti, quia vtrumque agens, ſeipſo vnitur ſuo modo ad effectum immediatè, & Deus intimè illabitur omnibus fouendo, conſeruando & mouendo. Corpus namque corpori vnitur ſua quantitate, ſpiritus vero ſua virtute operatiua. Imo etiam duo ſpiritus poſſunt agere immediatè immediatione ſuppoſiti, etiam ſi ſint ſubordinati, videlicet Angelus mouens orbem, & ipſe Deus immediatè immediatione ſuppoſiti, mouēt eundem orbem: Angelus verò non quidem immediatè immediatione virtutis; quia ipſe mouet virtute recepta à Deo depēdēter à ſuperiori cauſa. In agētibus ſubordinatis vnumquodque agens in ſuo ordine poteſt etiam immediatè con-

currere Deus immediatione ſuppoſiti & virtutis, cauſa vero ſecunda ſolùm immediatione ſuppoſiti. Neque eſt ratio cur ſe impediant immediata ſuppoſita ſubordinata, & non ſe impediant virtutes operatrices, & per hæc patet reſponſio ad argumentum Molinæ.

Aduerſarij non audent loqui expreſsè cōtra D. Thom.

Secundò diſplicet in eo quod dicit hoc præuium, quidam eorum vocant applicationem, alij motionem, alij complementum virtutis, alij determinationem &c. Diſplicet inquam vehementer, quòd loquens de ſolo Diuo Thoma, diuidit illum in multos, aiens quidam eorum &c. nam ſolus ipſe Diuus Thomas hanc præuiam motionem aliquando appellauit determinationem, aliquando applicationem &c. vocauit determinationem 1. 2. q. 9. art. 6. ad 3. quando ait. Sed interdum ſpecialiter Deus mouet aliquos ad aliquid determinatè volendum. Vocat applicationem 1. p. q. 105. art. 5. ad 3. aiens, quod Deus non ſolum dat formas rebus, ſed etiam conſeruat eas ad agendum vocat illam complementum in q. de potentia art. 7. ad 7. vbi ait, hoc quod additur

ditur cauſæ ſecundæ ex influxu primæ eſſe virtutem quandam intentionalem, quæ eſt veluti inſtrumẽtalis virtus, quæ illam complet ad agendum. Hæc ille.

Ad primam igitur Sucariam demonſtrationem reſpondeo, ex ab ipſo dictis, concedendo actionem & effectum non excedere virtutẽ cauſæ, neque has præmotiones ponimus, vt eleuent cauſam vt dictum eſt. Concedendo etiã in calore eſſe virtutem completam ad calefaciendum, & in ſemine ad generãdum: ſed inde non ſequitur influxum primæ cauſæ non eſſe neceſſarium in ipſam cauſam, ratio huius eſt, quia aliud eſt dicere, hoc eſt completum ineſſe, & hoc eſt completum vt agat; nam omnis homo eſt completus in ſe, ſed non ad currendum, quod aduerſarij non aduertunt. Aſſeueramus namque ſemper cauſas eſſe completas in ſe, neque egere aliquo eleuante, ſicut eget homo reſpectu actionum ſupernaturalium, ſed eſſe incompletas ad agendum, quia nunquam agerẽt, niſi Deus eas prius applicaret & inclinaret ad agendum. Dices, ſi effectus eſt proportionatus: ergo non eget aliqua alia præmotione. Reſpondeo

Premotiones non ponuntur vt eleuent cauſam.

effectum eſſe proportionatum in eo ſenſu, quod in ſuo ordine exiſtens poteſt ipſum attingere, ſed non abſque illa prædeterminatione.

Ad ſecundam: nolo aliquid de meo adducere, ſed pater Cumel loco vbi ſupra, ita reſpondet, & doctiſſimè. Ad 3. reſpondetur quod concurſus ille atque influxus eſt aliquid creatum, id eſt, motio tranſiens, ſeu influxus ipſe receptus in cauſa artificiosè, tranſeunter. Negatur tamen quòd influxus ille debeat appellari cauſa ſecūda, ſicut neque actio, qua agens agit, appellatur cauſa ſecunda; ſed eſt vnum ex præ requiſitis ad agendum, ſeu vt cauſa ſecunda agat. Et nego quòd ille concurſus indigeat alio concurſu ad agendum. Ideo quando Suares ait. ſumo virtutem cauſæ vt completam per illam qualitatem intentionalem, ſeu tranſeuntem, vt verbi gratia ignem vt affectum ſuo calore & illa qualitate, totum hoc compoſitū habet rationem cauſæ ſecundæ. Dico illā qualitatem non complere cauſam, niſi tantùm vt conditio, & ideo ad illam qualitatem non requiritur alia qualitas. Quia nos dicimus requiri talem præmotio-

Digitized by Google

nem in cauſis propter ſubordinationem; cùm igitur illa actio & præmotio non eſt cauſa, ideo &c. Ad id verò quod ait in eodem argumēto Deum potuiſſe à principio hanc cauſis ſecundis virtutem communicare; gratis cōcedo (licet illud falſum ſit) ſed quādo ait. Vel ſi potuit ita fieri, cur negabimus ita factum eſſe? Tunc reſpondeo, quia Deus poteſt multa facere, quæ non facit.

Denique ad id quod vltimò addit, quòd Deus liberaliorem ſe oſtenderet. Dico illud eſſe argumentum Durādi in 2. diſt. 1. q. 5. quo volebat probare, ſolas cauſas ſecūdas per ſe, effecta ſua producere, vt referunt patres Conimbricenſes 2. Phyſic. q. 12. art. 1. ad quod in reſponſione ad 2. ita reſpondent. Ad ſecundum reſpōdendum eſt, nulli creaturæ cōmunicari potuiſſe, vt ſine cōcurſu primæ cauſæ ageret; quemadmodū nec concedi potuit, vt abſque illo permaneret. Eſſet enim ac non eſſet creatura: eſſet, quia ita ponitur, non eſſet, quia res creatæ ex natura ſua, etiam quo ad operationem, habent ordinem eſſentialis dependentiæ à primæua cauſa totius eſſe; quemadmodum inſtrumento

Suares diſputat argumento Durandi.

artis, vt ſecuri tribui nequit, vt abſque fabri motione, per ſe atque ex ſuamet forma, artis opera moliatur; ita neque agenti creato, quod velut inſtrumentum diuinæ artis eſt, donari potuit, vt abſque ſummi artificis influxu, actionem ederet. Hæc illi. (Ecce quomodo aduerſarij vtuntur exemplo inſtrumenti, Diui Thomæ) Et in eadem reſponſione, ſic aiunt. Quod verò obiicitur effecta cauſarum ſecundarum non excedere earum vim, (ecce argumentum Suares) fatendum id quidem eſt, modo ponatur concurſus primi agentis, Hæc illi. & hoc mihi videtur veriſſimum in tota Philoſophia. Dices hoc verum eſſe, quantum ad concurſum in effectum, non autem in cauſam. Reſpondeo quòd non eſt maior ratio de vno, quàm de altero: & ſi placet ita argumentabor. Ille concurſus in effectum, eſt cauſa ſecunda: ergo eget alio concurſu. Si dicant non eſſe cauſam ſecundam; dicam quoque influxum in cauſam, non egere alio influxu, quia non eſt cauſa.

Patres Conimbri: ſoluunt argumentum Suares.

Et hoc quod dixi de promotione cauſarum naturalium, dico idem accidere in cauſis liberis: nam etiam libe-

rum arbitrium, vt liberum eſt, operatur dependenter à Deo, tanquam à prima cauſa efficiente: ergo Deus priùs cauſalitate concurrit in genere cauſæ efficientis, quàm liberum arbitrium illi ſubordinatum; Quoniam inter ea, quæ ordinata ſunt, neceſſariò debet eſſe ordo: ergo cùm Deus & liberum arbitrium concurrent efficienter ad actum liberum, & Deus concurrat vt motor primus, & cauſa prius liberi conſenſus, & ſupernaturalis; ſequitur quòd ordine quodam cauſent liberum illum conſenſum, & conſequenter Deus prius natura, & prius cauſalitate, auxilio ſuo efficaci concurrit. Satis.

CONCLVSIO QVARTA.

Cum æquali auxilio, impoßibile eſt quòd vnus conuertatur, alius vero minimè.

QVI volunt efficaciam gratiæ totam oriri à conſenſu liberi arbitrij, dicunt conſequenter eſſe poſſibile, imò & de facto ita accidere, vt cum æquali auxilio gratiæ vnus iuſtificetur, & conſentiat, alter verò nequaquam. Imò illum, qui maius habuerit auxilium accidit aliquando nõ conuerti, illum verò qui minus, ſic. Ideò Molina qui in de concordia diſp. 3. dixerat. Hic quinto loco aſſerimus auxilia præuenientis atque adiuuantis gratiæ, quæ lege ordinaria viatoribus con-

Digitized by Google

feruntur, quod efficacia aut inefficacia ad conuerſionem ſeu iuſtificationem ſint, pendere à libero conſenſu & cooperatione arbitrij noſtri cum illis, atque adeò in libera poteſtate noſtra eſſe, vel illa efficacia reddere conſentiendo & cooperando cum illis ad actus, quibus ad iuſtificationem diſponimur, vel inefficacia illa reddere, continendo conſenſum & cooperationem noſtram, aut etiam eliciendo contrarium conſenſum. diſputatione ſuperiori ſic ait. Illud præterea vehemēter diſplicet quod ſubiungunt, videlicet pro quantitate auxilij gratiæ cooperantis ſectādam eſſe quantitatem actus, quem liberum arbitrium tali auxilio adiutum producit, quaſi exiſtente æquali auxilio Dei non poſſit eſſe intenſior & feruentior actus contritionis aut dilectionis in homine vno, quàm in alio, quamdiu in via ſunt, aut exiſtente auxilio inæquali, non poſſit eſſe æqualis actus in duobus, aut maior in eo, qui minori auxilio adiuuatur & diſtinctione 12. ita ait. Ex dictis etiam patet, quid dicendum ſit ad illam quæſtionem, vndenam proueniat quod ex his qui audiunt Euangelium,

Vnde prouenit quod ex duobus qui audiūt Euangeliū vnus cōuertitur, alter vero minime.

conſpiciuntque eadem miracula in cō-firmationem illius effecta, quidam conuertantur & amplectantur fidem : alij verò minimè. Dicendum namque eſt, id non prouenire præcisè ex eo, quod illi, qui conuertuntur, præueniantur à Deo, gratia, & vocatione interna, alij verò non: licet enim nemo credere poſſit, vt ad ſalutem oportet, niſi præueniatur gratia diuina; nihilominus auxiliũ gratiæ nō eſt ſola & integra cauſa, quod fide aſſentiatur, quando quidem de fide eſt eum qui præuenitur gratia, & vocatur ad fidem, poſſe per ſuum liberum arbitrium non conſentire & non conuerti, vt in Concilio Tridentino ſectione 6. cap. 5. can. 4. diffinitum eſt: quare fieri poteſt vt duorum, qui æquali auxilio à Deo vocantur, vnus libertate ſui arbitrij conuertatur, & alter in infidelitate permaneat. Sæpe etiam accidit, vt cum quo auxilio vnus non conuertitur, alter in infidelitate permaneat. Hæc ille.

Et probant hoc Molina vbi ſupra, & Suares lib. 3. de auxiliis diuinæ gratiæ cap. 20. Primò ex illo Mattæi 11. væ tibi Corotſain, væ tibi Bethſaida, quia ſi in

Tyro & Sydone factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis olim, in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent. Ecce (aiunt) ſi æqualẽ auxilium recepiſſent Tyri & Sydones, in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent: igitur cum æquali auxilio conuerſi fuiſſent Tyri & Sydones, cum quo non ſunt conuerſi ciues Corotſaim & Bethſaide. Secundo conatur idem probare Suares hoc ex Cõcilio Tridentino in illis verbis, vt ita tãgente Deo cor hominis &c. Quæ verba exponens Suares, ita ait. Oſtendimus enim in ſuperioribus, ſub illa inſpiratione, ſeu vocatione includere Cõcilium, omnem gratiæ præmotionem, quæ tẽpore vel cauſalitate antecedit liberum conſenſum. Ergo ex doctrina Concilii fieri poteſt, vt idem homo cum eadem vocatione operetur, vel non operetur, ſed reſiſtat. Ponderanda enim ſunt ea relatiua (ait) illam recipiens, illam abiicere poteſt. Nam planè referunt eãdem omnino vocationẽ, aliàs inconſtans, & æquiuoca eſſet doctrina. Si ergo in eodem homine poteſt hoc accidere, multo magis in diuerſis. Hoc argumentum ita videtur Molinæ admirabile, vt dicat

Confirmatur auctoritate Conciliÿ.

nos nunquam illi potuiſſe ſatisfacere.

Idem ex Aug. Secundò auctoritate diui Auguſtini lib. 83. q. 68. vbi ait. Ad cœnam illam magnam neque omnes, qui vocati ſunt, venire voluerunt: neque illi qui venerunt, venire poſſent, niſi vocarentur. Itaque neque illi debent ſibi tribuere, qui venerunt: quia vocati venerunt; neque illi qui noluerunt venire, debent alteri tribuere; ſed tantum ſibi. Quoniam vt venirent, vocati erant in libera volũtate. Qui vocatus non venit, ſicut non habuit meritũ vt vocaretur, ſic inchoat meritum ſupplicij, cum vocatus venire neglexerit. Hæc Auguſtinus. Eademque eſt ratio (inquit Molina) de eodem modo affectis & æqualiter à Deo ad fidem vocatis: pro ſola namque eorũ libertate poteſt euenire, vt vnus amplectatur fidem, Alter vero tandem contemnat, quo fit, vt non ſolùm gratiæ præuenienti tribuendum ſit, quod ex audientibus euangelium quidam conuertantur, quidam non: Sed ſuus etiam locus relinquendus ſit libero arbitrio cuiuſque, à quo pendet quod peccator conuertatur, aut non conuertatur.

Confirmat hoc Suares vbi ſupra, ſic

aiens. Sed apud Auguſtinum eſt de hac re locus inſignis lib. de prædeſtinatione, & gratia cap. 15. vbi comparat Nabuchodonoſor & Pharaonem, quorum prior flagellatus, pœnitentiam egit fructuoſam, poſterior durior effectus eſt. Ambo homines, ambo Reges, ambo captiuum Dei populum poſſidentes, ambo flagellis clementer admoniti: Cur ergo medicamentum vnius medici confectum, alii ad interitum, alii valuit ad ſalutem? quid fines eorum fecit eſſe diuerſos; niſi quod vnus manum Dei ſentiens in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit, Alter libero contra Dei miſericordiſſimam veritatem pugnauit arbitrio? Significãs, (ait Suares,) ex parte eius qui conuertitur, id potiſſimum eſſe tribuendum gratiæ, non præuenienti tantum, ſed ordinanti & cooperanti libero arbitrio. Idem docet diuus Auguſt. 12. de trinitate cap. 6. *Locus inſignis pro aduerſariis.*

Tertiò probant hoc ratione. Auxilium præueniens, non determinat phyſicè voluntatem ad conſenſum, nec talis prædeterminatio neceſſaria eſt: ergo, ſtante totô auxilio neceſſario per modum principii, ſtat voluntatem pro ſua *Idem probant rationibus.*

libertate ſuſpendere operationem, vel etiam operari cum generali concurſu gratiæ, quia in hoc conſiſtit indifferentia libertatis: ergo eadem ratione cum eodem ſeu æquali auxilio per modum principii, ſtat vnum hominem conuerti aut pœnitere, & non alium. quæ ratio non ſolùm concludit poſſe hoc euenire in hominibus inæqualiter affectis, ſed etiam in hominibus eiuſdem ingenij, eorumdem morum, &c. Hæ in ſumma ſunt omnes aduerſariorum rationes, quibus ita vincuntur, vt dicant hæreticum eſſe illum, qui contrarium ſenſerit.

Molina 1. p. q. 23. a. 4 & 5 diſ. 1 memb. 6. Sed quia Molina, & ferè omnes dicunt hanc doctrinam à nemine vnquam fuiſſe traditam: nam in de concordia q. 23. mem. vltimo ita ait. Quia tamen res magni momenti eſt, ac valdè lubrica, & hęc noſtra ratio conciliandi libertatem arbitrii cum diuina prædeſtinatione &c. à nemine quem viderim hucuſque tradita (licet Fonſeca dicat ſe fuiſſe priorem primúmque, qui hoc genus reconciliationis inuenit, lætatúrque valde ſuum adinuentum ſubauctum eſſe, rationibúſque confirmatum à Molina, à Suario, à Vaſques, à Mēdoza &c.) Ideo tan-

In ſexto, cap. 2. q. 4.

quam nouam & nunquam à patribus Eccleſiæ traditam reiicio, licet non tanquam hæreticam. De qua nihilominus loquens pater Bannes 1.p.q.23.art.3.cõcluſione vltima, ſic ait. Sed circa iſtam doctrinam eſt maximè aduertendum, quòd non poteſt dici à catholico Theologo, niſi in hac parte ignoranti, quod ſtante duntaxat æquali auxilio Dei, Petrus conuertitur à peccato, Paulus non conuertitur; Petrus recipit fidem, Paulus non recipit fidem. & Pater Cumel vbi ſupra diſ.9. ait, dicere quod cum æquali auxilio Dei, quod omnino æquale ſit quantum ex parte Dei eſt, ex duobus impiis vnus conuertitur, & alter non conuertitur, ita quidem vt liberum arbitrium eius qui conuertitur efficiat auxilium Dei efficax eſſe ad conuerſionem, alter vero non: videtur mihi Pelagiana ſententia, & Probatur primò, quoniam facit initium ſalutis eſſe à nobis: nam auxilium illud quod eſt æquale in vtroque quantum eſt ex parte Dei, ſi eſt efficax in vtroque, ſequitur quod vterque conuertitur: nam efficax auxiliũ eſt operi coniunctum & concomitans opus ipſum. Si verò tale auxilium gra- *Iudicium Cumel.*

tiæ Dei eſt intrinſecum & ſufficiens & æquale, per omnia par ex parte Dei mouentis & pulſantis, vnde efficitur efficax? Si dicas quod illa efficacia prouenit ex eo quod ille qui conuertitur, conſentit, & non aliquo ſupernaturali dono quod ſe teneat ex parte Dei: tunc ſequitur planè quod initium conuerſionis & iuſtificationis refunditur in liberum arbitrium eius, qui conuertitur, quod eſt Pelagianum. Sanè vel vtrumque auxilium eſt efficax, vel non: ſi primum, vterque conuerteretur; ſi ſecundum, ſine auxilio efficaci de facto & in re nullus conuertetur. Si verò auxilium quod non eſt efficax, efficaciam accipiat à libero arbitrio eius qui conuertitur, & non ex aliqua Dei motione de nouo adueniente: ergo initium ſalutis incipit ab homine. Hæc ille.

Verba Auguſtini in corde ſcribenda.

Confirmatur auctoritate diui Auguſtini lib. de prædeſt. ſanctorum cap. 5. (referente Bannes) cuius verba in corde ſcribenda ſunt, Ait enim. Nunquid per hæc dona, quæ omnibus communia ſunt hominibus, diſcernuntur homines ab hominibus? ac ſi diceret, Minimè quidem: Et ſubiungit, Dixit

Digitized by Google

enim Apoſtolus, quis enim te diſcernit? & quia poſſet dicere, homo inflatus, diſcernit me, iuſtitia mea, fides mea, vel ſi quid aliud talibus occurrens cogitationibus, Bonus doctor addidit, quid autem habes, quod non accepiſti? à quo, niſi ab illo qui te diſcernit, ab alio, cui non donauit, quod donauit tibi? &c. Sexto inquit. Multi audiũt verbum veritatis, ſed alii credunt, alii contra dicunt. Volunt ergo iſti credere; nolunt autem illi. Quis hoc ignoret? quis hoc neget? ſed cum aliis præparetur, aliis non præparetur voluntas à Domino, diſcernendum eſt vtique quid veniat de miſericordia eius, quid de iudicio. Hactenus Auguſtinus.

Secundò probatur hoc demonſtratione potiſſima. Hi qui vocati ſunt ęquali auxilio, quo vnus conuertitur, alter vero minimè, vocati ſunt ad iuſtificationem ſecundum Dei propoſitum ambo vel non. Si ambo vocati ſunt ſecundum Dei propoſitum ſecundum illud Rom. 9. iis qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti: ergo ambo ſaluabuntur. Cõſequentia eſt euidentiſſima, & conceditur ab omnibus aduerſariis, Molina ex-

Quicumque ſecundum Dei propoſitum vocantur, infallibiliter ſaluabuntur.

cepto, nõ ſtat enim quod Deus aliquem ſecundum propoſitum abſolutum & efficax velit eſſe ſanctum, & ille non iuſtificetur, alioquin non eſſet vocatus ſecũdum Dei propoſitũ. Si neuter hoc modo vocatus eſt, eodem modo neceſſariò ſequitur duorum neminem poſſe de facto iuſtificari. Si alter ſolùm vocatus eſt ſecundum propoſitum, alter verò minimè, & ideo vnus conuertitur, alter vero non; concedo hoc eſſe verum. At volo quod qui ſecundum propoſitum vocatur vt ſi ſanctus, aliquam aliam gratiam habet, quàm is qui ſecundum propoſitũ Dei vocatus non eſt. Confirmatur hoc ratione theologica, Nã ſi Petrus & Paulus verbi gratia, æquali & eadem voluntate, & eodem auxilio quantum eſt ex parte Dei vocati ſunt, quo nihilominus non obſtante ſaluatur alter, alter verò perditur. Profectò ſequeretur euidentiſſimè, quod tota ratio vltima differentiæ, quare Petrus diſcernitur à Paulo, nullomodo poterit aſſignari ex parte Dei, cum ille omnino æqualiter vtrumque adiuuit, ergo aſſignanda eſſet ex parte liberi arbitrii, quo alter voluit gratiæ aſſentire. Conſequens autem eſt cõtra

tra illud Apoſtoli primæ ad Corinth. 1. Qui gloriatur in Domino glorietur, aiẽtis. Hinc ſolertiſſimus pater Bannes vbi ſupra concl. 9. ſic loquitur. At verò ſi ita res ſe haberet, vt quidam ignorantes dixerunt, quòd æquali auxilio Dei vnus vult conuerti, & alius non vult conuerti; Tunc ille qui conuertitur, poſſet verò gloriari in ſeipſo in die iudicii, ac dicere Deo: Domine mihi non plus contuliſti gratiæ, quàm illi qui perit: ſed ego per naturę meę vires, benè vſus ſum auxilio tuo & ſaluũ me feci, quod quidem eſſet intollerabilis blaſphemia atq; Pelagiana hæreſis. Et etiam contra illud, quis enim te diſcernit, quid autem habes quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis? Hæc ille. *Iuditium Bannes.*

Hoc abſque dubio volebat innuere diuus Auguſt. lib. 1. de prædeſt. ſanctorum cap. 6. vbi ſic ait. Multi audiunt verbum veritatis, ſed alii credunt, alii contradicunt. Volunt ergo iſti credere, nolunt autem illi, quis hoc ignoret? quis hoc neget? ſed cùm aliis præparetur, aliis non præparetur voluntas à Domino, diſcernendum eſt vtique, quid veniat de miſericordia eius. Et lib. 3. hy-

Digitized by Google

In omni opere prior eſt Dei voluntas poſterior hominis.

pognoſticon ait. In omni opere ſancto prior eſt voluntas Dei, poſterior voluntas hominis, j. Deus operatur, & homo cooperatur.

Pater Suares valdè laborat ad hunc diſcurſum labefactandum; nam vbi ſupra ſic loquitur. Licet namque homo liberè cooperetur gratiæ vocanti; ita vt verè poſſit non cooperari; nihilominus ille etiam bonus vſus libertatis non eſt à ſolo homine, ſed principaliter à Deo, tũ per auxiliũ concomitans, tum etiam per gratiã vocationis, & auxilia gratiæ adiuuantis, quæ per modũ principii & actus primi, ei cõferuntur. Igitur quamuis homo non accipiat fidẽ ſine voluntate ſua, neque ipſam voluntatem credendi accipiat ſine influxu ſuo libero; tamen verè illam habet ex dono Dei. Et paulo infra ſic ait. Diuus Paulus non dixit ſimpliciter & abſolutè quid gloriaris, ſed addit quaſi non acceperis, quomodo ſolùm gloriaretur, qui ſuis viribus vel ſolũ, vel principaliter tale opus tribueret, aut propter ſua merita exiſtimaret omnem gratiam ad tale opus neceſſariam, aut deniq; qui nõ recognoſceret; & initiũ, & conſummationẽ talis operis Deo

principaliter eſſet adſcribenda: nam hoc eſſet gloriari in ſe, & non in Domino. Hinc fit, ait, nō eſſe intrinſecè malū gloriari hominē de ſuo actu ſupernaturali, ſeu de bono vſu liberi arbitrii cū gratia Dei. Et in fine capituli, adde etiam (ait) quòd licet actus vt ſupernaturalis eſt; ſit à Deo principaliter, tamen vt eſt liber, habet hanc denominationem à ſolo libero arbitrio, ſicut actus vt vitalis, habet hanc determinationem ex peculiari habitudine ad potentiam vitalem.

Non eſt malum hominem gloriari de actu bono ſupernaturali.

Ex iſtis omnibus tria elicio, quæ iſti volunt dicere. Primum, voluntatem eſſe quæ producit actum conſentiendi, & hoc tanquam verum in omni philoſophia concedo: Deus enim non eſt ille qui mouetur, ſed qui dat, cuncta moueri, neq; circa hoc fuit aliquādo hæreſis. Secundū, hominem ex ſe nō habere aliquam facultatem vt poſſit agere illum actum ſupernaturalem, & hoc eſſe de fide credo; Ideo eos ſemper malè loqui de hac opinione exiſtimaui, qui de ea loquentes, dicunt ipſam ſapere hæreſim Pelagianam: Pelagius namque contēdebat liberum arbitriū ex ſe ipſo reddere gratiam Dei efficacē, quod iſta opi-

Digitized by Google

nio nō docet, quę vult illum conſenſum eſſe à Deo principaliter adiuuante, & cooperante. Tertium, quod veriſſimum eſt, in iſtis verbis nullam meæ cōcluſionis inueniri ſolutionē: Scio enim quod alter ex duobus, qui à Deo æqualiter vocati ſunt,, gratia vocationis conſentiet; ſed opto oſtendant mihi differentiam vnius conuerſionis, & alterius non conuerſionis. nec amplius remanet illis locus fugiendi ad gratiam, quam ęqualem ſupponimus in ambobus; neque fugiāt precor ad liberum arbitrium, ne ponāt diſcretionem prouenire ex parte ipſius.

Ideo Fonſeca in 6. q. 5. ſect. 14. diuina miſcens cum metaphyſicalibus, ita loquitur. Ex quibus, apertiſſimè colligi poteſt vera explicatio illius quæſtionis, poſsítne ex duobus hominibus æquali omnino gratia vocatis vnus cōuerti, alter non conuerti? Patet enim dicendum eſſe, ſi ſola vocationis ſubſtantia ſpectetur, id fieri poſſe; ſin autem & ſubſtantia, & applicatio ſimul conſiderentur, fieri non poſſe. Nam & illuſtratio intellectus, & commotio voluntatis non ſolùm poſſunt eſſe æqualia in vtroque, ſed etiam maiora in eo, qui non conuerti-

tur, quàm in eo, qui conuertitur, vt dictum eſt. Cum autem applicatio non congrua, non ſit ſpecialis gratia, ſed à communi prouidentia profecta, vt etiam eſt dictum, neceſſariò efficitur, vt hac ex parte ſemper is, qui non conuertitur, minori gratia vocetur, quàm qui conuertitur. *Qui conuertitur maiorem gratiam habet.*

Hoc idem tenet illuſtriſſimus Bellarminus lib. 6. de gratia, & libero arbitrio cap. 15. idē pater Suares, qui vbi ſupra ſic loquitur. Addendū vltimò eſt eū, qui cōuertitur, ſemper recipere maiorē gratiā præuenientē, ſeu excitantē in ratione, moralis beneficii, & gratuiti doni diuini. Hoc declaratum eſt inquit iuxta doctrinā ſuperiùs traditam de vocatione efficaci de mente Auguſtini. Nam ille qui conuertitur, ſemper habet congruā vocationem, quā non habet is, qui non conuertitur: ſed, quamuis contingat, has vocationes phyſicè & in eſſe entis eſſe æquales, tamen in ratione beneficii, moraliter loquendo lōgè maius eſt vnum quàm aliud; Immò interdum vocatio phyſicè minùs perfecta, erit moraliter maius beneficium, quia eſſe poteſt magis congrua omnibus penſatis: & ex

maiori Dei beneuolētia profecta. Nam, vt in ſuperioribus declarauimus, huiuſmodi vocatio ex parte Dei ſemper procedit ex peculiari electione, & intentione, qua efficaciter decreuit dare tali homini fidē, vel pœnitentiā: ſed hęc eſt ſingularis beneuolentia Dei, magnúmque beneficium, quod nō confert alteri, cui non dat congruam vocationem. Similiter ratio beneficij moraliter maximè penſatur ex occaſione, & tempore, ac modo quo fit: magíſque ex his circunſtantiis æſtimatur, quàm ex abſoluta quantitate: præſertim, quando illæ circunſtantiæ præuiſæ ſunt à benefactore, & peculiari intentione obſeruatæ, ob commodum eius, cui beneficium confert: ita verò eſt in præſenti, vt in ſuperioribus declaratum eſt. Quo circa, quia gratia ſimpliciter dicta, non ſolùm dicit abſolutam rem, quæ gratis datur, ſed etiam rationem beneficii & moralis beneuolentiæ maximè includit, ideò ſimpliciter dici poteſt, omnem illum, qui conuertitur, maiorem gratiam præuenientem recipere, quàm eum qui non conuertitur. Quam ſententiam amplectitur vir quidam Modernus in diſ. de

Quid eſt gratiam eſſe maiorem in ratione beneficij.

Digitized by Google

gratia ſufficienti & efficaci q. 6. Immo eadem verba quæ ſupra tranſcribens, ita ait. efficacitatem gratiæ conſiſtere in congruitate & contemperatione vocationis diuinæ cum libero arbitrio, ita vt vocatione poſita, ita contemperata, cõſenſus voluntatis infallibiliter ſequatur. & diſ. ſequenti, opinione Bãnes reiecta, ita loquitur. Ad quæſtionem respondetur fieri poſſe vt ex duobus æqualiter affectis, & æquali gratia vocatis vnus conuertatur, alter vero minimè, ſed gratia illa tantùm dicenda eſt inæqualis ſecundum entitatem ſeu actiuitatem, quia in ratione beneficij & beneuolentiæ, &c.

In quo cõueniant & in quo differant aduerſarij.

Conueniunt igitur omnes aduerſarii, (Molina excepto,) vocationem non reddi efficacem à libero arbitrio, ſed ex diuina applicatione; differunt tamen ſecundum ſe, quia Fonſeca in ſexto q. 5. ſect. 14. ita loquitur. cùm autem applicatio non congrua, non ſit ſpecialis gratia, ſed à communi prouidentia profecta, vt etiam eſt dictum, neceſſariò efficitur vt ex hac parte ſemper is, qui non conuertitur, minori gratia vocetur, quàm qui conuertitur. Hæc ille. Sed Suares vbi ſupra ſic loquitur. Quando igitur duo

Digitized by Google

ex ſe inæqualiter affecti ita vocantur, vt vnus conuertatur, & non alius; non eſt neceſſe vt in eo qui conuertitur, vocatio includat aliquem effectum poſitiuum vel priuatiuum præuenientis gratiæ, quem non includat alterius vocatio ſufficiens, & non efficax. Vnde hoc titulo non eſt neceſſe vt is qui conuertitur habeat maiorem vocationem vel auxilium, & paulo inferius ſic ait. Nego igitur antecedens, nempè vocationem cõgruam ſemper habere effectum peculiarem gratiæ antecedentis ex parte Dei; quem Deus conferat in vocatione ſufficiente. Hæc ille. Vult igitur iſte, iuſtificatum non habuiſſe maiorem gratiam; non iuſtificato. Ille verò affirmat.

Iuſtificatio dependet à gratia, à libero arbitrio & ab applicatione.

Tunc argumentor ſic: ergo quòd gratia efficax vel inefficax ſit, non pendet à libertate arbitrij, alioquin inciderent in opinionem Molinæ: ergo ex illa applicatione; ergo iuſtificatio dependet ab illa: ergo tria ſunt neceſſaria ad hominis iuſtificationem ſi liberum arbitrium, gratia, & bona applicatio. Si dicant dependere à libero arbitrio, & gratia tanquam à duabus cauſis totalibus, ab applicatione verò tanquam à conditione, ſeu con-

Digitized by Google

temperatione. Contra, iſta contemperatio ſeu iſta congrua vocatio nihil aliud eſt quàm ingenium, mores, complexio, tempus &c. vt ipſi fatentur, tunc peto, vel iſta numerantur inter dona gratuita, vel inter dona naturalia. Si inter gratuita, habeo intentum; Si inter bona naturalia: ergo donum & gratia iuſtificationis dependet ab illo dono naturali: ergo qui ſaluantur, à natura ſaluantur. Probatur euidentiſſimè vltima conſecutio, Ex parte Dei eſt æqualis gratia, quæ ſortitur diuerſum effectum, propterea quod duo affecti ſunt diuerſis complexionibus. Et cùm Deus non deſtruit rerum naturas, non poterit aliquem ſaluare, niſi dependenter ab illa complexione naturali, & ſic gratias agemus Deo, qui nos gratia eleuans, facit vt poſſimus, debemus etiam gratias agere cœlis, & cœleſtibus influxibus, ſigniſque, à quibus, hæ bonæ & contemperatæ complexiones dependent, & per quæ habemus, vt actu faciamus. Deo, quia vocat, iſtis, quia congruè; Nam niſi haberem has contemperatas complexiones, vel niſi Deus ab æterno hæc præuidiſſet, neque etiam congruè me vo-

Homo debet gratias agere ſideribus.

care potuiſſet; & ſicut diſcretio reprobi à prædeſtinato tota oritur à ly congruè, quæ non eſt à Deo, neque à libero arbitrio, ſed à complexione: ita ſequitur neceſſariò prædeſtinatum diſcerni à non prædeſtinato, per illam complexionem naturalem.

Itaque fugientes Pelagij errorem, qui aiebat iuſtificationem eſſe à libero arbitrio totalitérq; ab eo dependere, & Caluini, qui totum hoc gratiæ attribuebat; inuenerunt iſti viri medium, ſcilicet efficaciam iuſtificationis non dependere à gratia quantum ad ſuam entitatem, neque à libero arbitrio; ſed ab applicatione ſeu à complexione, quod idem fere eſt. Non eſt igitur quare dicant gratiam illam in iuſtificato eſſe maiorē in ratione beneficij, nam quod congrua ſit, non à gratia eſt, neque gratiæ beneficium, ſed naturæ. Et corroboratur ratio exemplo ab aduerſariis ſæpius allato, qui aiunt in huiuſmodi vocationibus Deum ſe habere, ſicut qui loquitur ad benè audientem, & ad ſurdum; locutio quidem, aiunt, æqualis eſt ſecundum ſubſtantiam, quam nihilominus audit benè audiens, ſurdus verò nequaquam.

Male dicũt quod qui conuertitur habet maiorem gratiã in ratione beneficij.

Dico igitur, quod ſi hoc exemplum aliquid valeret, probaret vtique totam cauſam diſcretionis prouenire ab illa complexione..

Hæc omnia præintellexiſſe puto Suares, qui vbi ſupra ſic ait: Conſtituamus ergo duos homines inæquales in ingenio ſeu naturali complexione, quibus Deus conferat æquales inſpirationes, & æqualem prouidentiam gratiæ quantum ad auferenda cætera impedimenta: nihilominus in vtroque eſt poteſtas ad reſiſtendum: ergo fieri etiam poteſt vt vnus reſiſtat, & non alius, & quòd Deus per conditionatam ſcientiam præſciuerit ita eſſe futurum, ergo tunc vna vocatio eſſet efficax, & non alia, ſine illa inæqualitate ex parte effectuum gratiæ: ergo talis inæqualitas non eſt per ſe neceſſario, cùm in illo caſu nihil propoſitum ſit, quod repugnantiam inuoluat. Quin potiùs vlterius ſequitur in illis duobus fieri poſſe, vt ille, qui minùs aptam habet naturæ conditionem, non reſiſtat gratiæ vocanti, quia illa difficultas non tollit libertatem; alter verò, licet expeditior videatur pro ſua libertate reſiſtat. Vel è conuerſo, quamuis ille,

Digitized by Google

qui difficiliorem habet naturam,intenſius lumen,aut delectabiliorem inſpirationem accipiat, vt ſuæ naturæ difficultatem poſſit vincere; nihilominus poteſt ea vocatio eſſe inefficax, in alio vero eſſe efficax, à quo pauciora impedimenta auferuntur, vel qui cum minori ſuauitate, aut illuſtratione allicitur ad conſentiendum, quia ſemper manet in eis libertas ad reſiſtendum, vel cooperandum vtrique gratiæ vocanti. Ex quibus, ni fallor, elicio, quòd abſtractis quibuſcunque impedimentis & complexionibus & naturæ conditionibus, cum æquali auxilio vnus poteſt conſentire, alter vero minimè; Imò qui perfectiorem complexionem & optiorem naturæ conditionem, non conſentire. Tunc infero, ergo efficacia vocationis non prouenit ab iſtis circunſtantiis, igitur non eſt quia in tali vel in tali occaſione creatus, nam iſtis non obſtantibus, contrarium accidere poteſt. Dicant igitur liberè cum Molina, efficacitatem prouenire à libero arbitrio, atque diſcretionem omnem; nam etiam eiſdem rationibus, quibus iſti probant eorum concluſionem, Molina probat ſuam, & ſicut

Suares obliuiſcitur vocationis cōgruæ & incidit in opinionē Molinæ.

iſti reiiciunt Molinam; ita & ego vtroſque, nec nominentur amplius iſti termini; ab occaſione, à contemperatione, à complexione, à congruitate &c. quos Patres noſtri non intellexere, nam ſi gratia principium eſt ſufficientiſſimum ad eleuandum hominem ad ſupernaturalem actum eliciendum, non video quænam occaſiones, quænam complexiones hoc poſſint impedire, dicerem ergo potius hæc omnia à libero arbitrio dependere, & non ab illis congruitatibus.

Propterea miratus ſum ſæpe hominem illum modernum, qui q. 6. loquendo de illa vocatione congrua ait; illam eſſe opinionem Molinæ, additque, (quicquid dicant Thomiſtæ.) Miratus ſum inquam, quia in Molina impreſſo Venetiis. 1602. in illo membro 6. quod citatur ab iſto auctore, nunquã inueni, quod de ipſo refert: Nam vbi ſupra hæc verba habentur in Molina. Quare à libero arbitrio noſtro pendet quod auxilia diuina efficacia, aut inefficacia reddantur ad actus liberi arbitrij, & contrarium non dubito eſſe errorem in fide. Et pag. ſequenti ſic ait. Conce- *Malè citatur Molina.*

dendum eſt dari aliquid quod ſit à noſtro arbitrio & non aliter, ea præcisè conſideratione à Deo, niſi tanquam à naturæ, ipſiúſque liberi arbitrij auctore, qui eam facultatem nobis contendit, vt eo pacto liberè noſtras actiones bonas cum eo operemur. Hæc ille. In quibus omnibus docet efficacitatem auxilij, vocationiſque ſimpliciter dependere à libero arbitrio, firmitérque credo eum, has contemperationes, & congruitates nunquam agnouiſſe.

Sed quia aduerſarij dicunt D. Tho. nil de hac concluſione ſcripſiſſe, ſed Bannes fuiſſe inuentorem, ideo ſcias Diuum Thomam 2. 2. quæſtione 6. aureum ſcribere articulum, in quo tanquam fonte clariſſimo videbis argumentorum omnium, quæ aduerſarij cumulant, ſolutionem. Sic igitur loquitur interpres diuinæ voluntatis ſinceriſſimus. Reſpondeo dicendum, quod ad fidem duo requiruntur. Quorum vnum eſt vt homini credibilia proponantur, quod requiritur ad hoc, quòd homo aliquid explicitè credat. Aliud autem quod ad fidem requiritur, eſt aſſenſus credentis ad ea quæ proponun-

tur. Quantum ergo ad primum horum, neceſſe eſt quòd fides ſit à Deo. Ea enim quæ ſunt fidei, excedunt rationem humanam; vnde non cadunt in cognitionem hominis, niſi Deo reuelante; ſed quibuſdam quidem reuelantur immediatè à Deo, ſicut ſunt reuelata Apoſtolis, & Prophetis. Quibuſdam autem proponuntur à Deo mittente fidei prædicatores ſecũdum illud Rom. 10. Quomodo prædicabunt niſi mittantur?

Duo ſunt neceſſaria ad aſſenſum fidei præbẽdum.

Quantùm verò ad ſecundum: ſcilicet ad aſſenſum hominis, in ea quæ ſunt fidei poteſt conſiderari duplex cauſa, vna quidem exterius inducens, ſicut miraculum viſum, vel perſuaſio hominis inducẽtis ad fidem, quorum neutrum eſt ſufficiens cauſa. videntium enim vnum & idem miraculũ & audientium eandẽ prædicationem, quidam credũt, & quidam non credunt, & ideo oportet ponere aliam cauſam interiorem, quæ mouet hominem interius ad aſſentiendum his, quæ ſunt fidei. Hanc autẽ cauſam Pelagiani ponebant ſolum liberum arbitrium hominis, & propter hoc dicebant quod initium fidei eſt ex nobis, in quantum ſcilicet ex nobis eſt, quod parati

Ex parte hominis duplex cauſa talis aſſenſus.

Digitized by Google

ſumus ad aſſentiendum his, quæ ſunt fidei. ſed conſummatio fidei eſt à Deo, per quam nobis proponuntur ea, quæ credere debemus. Sed hoc eſt falſum, quia cùm homo aſſentiendo his quæ ſunt fidei, eleuetur ſuper naturam ſuã, oportet quòd hoc inſit ei ex ſupernaturali principio interius mouente, quod eſt Deus, & ideo fides quantum ad aſſenſum, qui eſt principalis actus fidei, eſt à Deo interius mouente per gratiam. Hæc ille.

Super quem locum doctiſſimus pater Bannes tale conficit argumentum. Multi condemnabuntur, quia viſis miraculis & audita prædicatione Euangelij, non crediderunt ea, quæ ſunt fidei: ergo illi habuerunt ſufficiens inductiuũ & motiuum ad credendum, ergo miracula & prædicatio ſufficiens cauſa ſunt, vt poſſit homo credere per liberum arbitrium. Ad hoc argumentum reſpondetur ait, illud motiuum exterius ſufficiens eſſe in ſuo genere, ideſt in ratione cauſæ exterioris. Sed tamen propter hoc ſolum, non condemnarentur illi niſi intus reſtitiſſent pulſanti Deo & mouenti ſufficienter, vt poſſent credere

ſi vellent. Fatemur autem non eſſe illis datum vt crederent; nec receperunt interius auxilia efficacia; ſed tantum ſufficientia vt poſſint credere, & quoniam iſtis reſiſterunt, iuſtè condemnabuntur.

Vltra prædicationem Euangelij requiritur, motio gratia interna

Si igitur quæras à Diuo Thoma, vnde accidit vt ex duobus qui audiunt idem Euangelium, & eandem prædicationem, vident idem miraculum, vnus conuertatur, alius vero nequaquam? prouenit ne hoc à libero arbitrio? Reſpondebit, hanc autem cauſam Pelagiani ponebant ſolùm liberum arbitrium hominis, & propter hoc dicebant, quòd initium fidei eſt ex nobis, in quantum ſcilicet ex nobis eſt quod parati ſumus ad aſſentiendum his, quæ ſunt fidei. Sed conſummatio fidei eſt à Deo per quam nobis proponuntur ea, quæ credere debemus. Et hanc doctrinam accepit à patre Auguſtino de bono perſeuerantiæ cap. 8. vbi inquit. Cur ex duobus impiis vnus ſic vocetur, vt ſequatur vocationem, alius verò ſic vocetur, vt non ſequatur vocationem? Inſcrutabilia ſunt iudicia Dei. Hæc ille. Quæ iudicia incomprehenſibilia. Mo-

Digitized by Google

lina ait eſſe ſolum noſtrum liberum arbitrium, diſputatione enim 12. ſic ait. Ex dictis etiam patet quid dicendum ſit ad illam quæſtionem, vnde nam proueniat quod ex his qui audiunt Euangelium conſpiciúntque eadem miracula in confirmationem illius effecta, quidam conuertantur & amplectantur fidem: alij vero minimè. Et infra ſic reſpondet. Eadémque eſt ratio de eodem modo affectis, æqualiter à Deo ad fidem vocatis, pro ſola namque (nota ly pro ſola) eorum libertate, poteſt euenire vt vnus amplectatur fidem, alter verò contemnat. Hæc ille. Quod eſt iuxta id quod doctor Angelicus dicebat. Hanc autem cauſam Pelagiani ponebant ſolum liberum arbitrium hominis. Inſuper doctor Angelicus cauſam huius diſcretionis aſſignans ait. Hanc eſſe gratiam, hominem interius mouentem. Et Molina vbi ſupra ſic loquitur. Quare fieri poteſt, vt duorum qui æquali auxilio interius à Deo vocantur, vnus pro libertate arbitrij conuertatur, & alter in infidelitate permaneat? & hoc ſæpe accidit. Hæc ille. Sanctus Thomas igitur vult hanc diſcretionem minimè

prouenire ex exteriori principio, ſed neque ex interiori quod eſt liberum arbitrium, ſed ex interiori quod eſt gratia interiùs mouens. Molina autem vult hanc diſcretionem nullatenus eſſe ex exteriori principio, ſex ex interiori quod eſt liberum arbitrium.

Ad primum igitur argumentum reſpondetur primò, illo æque bene concludi oppoſitum quod aduerſarij defendunt, Nam ſi illa verba Matthæi vndecimo intelliguntur eo ſenſu, quo aduerſarij ea accipiunt, certò opinio Pelagiana vera erit, quia Pelagius ita diſputabat contra Catholicos. Prædicatio Euangelij miraculis confirmata ſufficit vt homo poſſit principiis fidei aſſentire, ergo gratia non eſt neceſſaria. Probabat antecedens hac Matthæi auctoritate. Si in Tyro & Sydone facta fuiſſent ſigna &c. vtique pœnitentiam egiſſent, aiebatque volũtariam eſſe reſponſionem, in qua dicitur (ſed ſuppoſita gratia) quia Chriſtus ſigna & miracula docuit eſſe noſtræ conuerſionis ſufficiens principium in eo quod ait. Si in Tyro & Sydone facta fuiſſent ſigna, vtique pœnitentiam egiſſent. Nec iudicio meo, ad-

Pelagiani diſputant eodem argumento, quo aduerſarij.

Digitized by Google

uerſarij hanc difficultatem Pelagij fugere poſſunt in eo quod addunt gratiam, nam etiam Pelagius volebat reuelationem fidei eſſe ſummā gratiam ſine qua, homo fidei nullomodo poterat aſſentire; ſed nihilominus eſt ab Eccleſia reiectus, quia contendebat quod poſita tali gratia ſcilicet Euangelij prædicatione, homo per ſolum ſuum liberum conſenſum præbebat auditum, & ab altero ſe diſcernebat, & in hoc videntur conuenire aduerſarij, qui aiunt poſita æquali gratia, hominem per ſolum liberi arbitrij conſenſum diſcerni ab alio homine (quanquam ego hanc opinionem nūquam Pelagianam appellabo.)

Alia reſponſio. Secundò reſpondetur cum doctiſſimo Cumel 1. p. q. 23. diſt. 9. circa finē, vbi ſic ait. Exiſtimo enim quod cum dicit Chriſtus: Olim in Cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent: quod loquatur etiam de vera pœnitentia. Nam (vt cōſtat) poſtea prædicantibus Apoſtolis & prædicante Paulo, Tirij egerunt pœnitentiam. Id ergo Chriſtus contendit ſignificare: non quidem quod cum æquali auxilio, aut cum ſolo ſufficienti, aut cum ſignis iſtis exterioribus præciſè,

Digitized by Google

Tirij & Sidonij conuerterentur: cum tamen non ſint conuerſi ciues Corazain & Bethſaïdæ. Sed id contendit Chriſtus quod ſi virtutes illæ factæ fuiſſent in Tyro & Sidone, non tot addidiſſent peccata, aut obiicerent crimina & impedimenta diuinæ gratiæ. Hæc ille.

Tertiò ego reſpondeo ly, ſi in Tyro & Sydone facta fuiſſent ſigna &c. non dicere occaſionem in qua Tyrij & Sydones conuerſi fuiſſent per eorum liberum arbitrium, ſed occaſionem (vt ita loquar) in qua Deus illos conuertiſſet. Volo dicere, quod ſi illa miracula facta fuiſſent in Tyro & Sidone, Deus dediſſet illis hominibus auxilium, quo de facto recepiſſent fidem, & egiſſent pœnitentiam de peccato: Deus namque ab æterno decreuit mittere verbum ſuum Hebræis, vt illis prædicaret, & quamplurima faceret prodigia; ſed voluit etiam ab æterno illis non cōferre ſuum auxilium efficax, quo de facto ſaluati fuiſſent. In quo decreto permiſit illos obdurari in malitia voluitque ab æterno Tyro & Sidoni ſimul cum miraculis & ſignis conferre ſuum auxilium efficax, quo de facto liberè conuerſi ſunt. *Nota diligentiſsimè.*

Digitized by Google

Vnde ſi quæras, quare hoc auxilium non dedit Bethſaïdis. Reſpondebo, quia non dedit Adamo vt de facto perſeueraret, licet dederit vt perſeuerare poſſit.

Ad confirmationem eiuſdem argumenti reſpondeo, ſacrum Tridentinum Cõcilium nihil contra nos dicere, imò eo nóſtra concluſio roboratur; Nam poſito quòd Concilium loquatur de auxilio efficaci, optimè aſſeuerat noſtrũ liberum arbitrium poſſe illud abiicere, quia loquitur in ſenſu diuiſo, non autẽ compoſito. In quo ſenſu etiam dicam, quòd poſito æquali auxilio efficaci in duobus, vnus poteſt conuerti, alter verò minimè, ſed de facto nunquam hoc accidet. Vnde, ly poteſt, non dicit factum, non docet rei euentum, ſed internum & intrinſecum libertatis principium, ſicut dicimus quod qui habet auxilium efficax, poteſt non conuerti, & qui habet ſolùm ſufficiens, poteſt iuſtificari, ſi velit. Hæc igitur Concilij auctoritas nullatenus Thomiſtas premit, imò ſuper ipſam fundatur Thomæ & filiorum eius Catholica véritas. Hinc maximè ægrè tuli verba cuiuſdam moderni do-

Digitized by Google

ctoris, in diſputatione de gratia ſufficiente & efficaci q. 8. in reſponſionibus ad Conciliũ Tridentinum vbi ait, Thomiſtas aliquos hac auctoritate preſſos, non valentes illam ſuſtinere, dicere capita illa quæ ſect. 6. continentur, continere errorem, cùm neque in Concilio fuerint relecta, quod valet, ac ſi diceret, Thomiſtas negare Concilium Tridentinum, negare Eccleſiam, negare fidẽ, quæ tota poſita eſt in Concilio: nam qui negat vnum caput Concilij, benè reliqua eadem facilitate & animo negare poterit. Nec ſatis erit dicere capita illa non fuiſſe relecta, quia hoc eſt falſum, & ſi eſſet, jam relecta ſunt ab Eccleſia, & confirmata quotidie. Ideo talem virum tanquam Thomiſtis malè affectum relinquo, quouſque nomen Thomiſtæ, & locum in quo hæc dicat, oſtenderit.

Falſo imponitur Thomiſtis, eos negare Cõcilium.

Ad ſecundum argumentum quod auctoritate Diui Auguſtini innitebatur. Reſpondeo concedendo totũ, puto namque quòd ſit de fide, credere Nabuchodonoſor iuſtificatum eſſe, quia voluit iuſtificari, ſeu quia voluit conſentire Deo vocanti: Pharao autem minimè, ſed, ly quia voluit, dicit cauſam conſen-

Digitized by Google

tientem & volentem liberè, ſupponitque aliam cauſalem, ſcilicet quia Deus voluit vt conſentiret, exiſtimoque hæc duo eſſe de fide, Diuus Petrus iuſtificatus eſt, quia voluit iuſtificari, & voluit iuſtificari, quia Deus, qui dat velle & perficere, dedit ei, vt vellet.

Primum ſcio & cauſam eius, ſecundum autem ſcio, ſed cauſam ignoro, ſcio namque Petrum iuſtificatum eſſe, quia voluit iuſtificari, voluitque, quia Deus dedit vt vellet, ſed quare Petro dedit vt vellet & Iudæ nequaquam. hoc ignoro, idque ignorabat Paulus quando dicebat. Nonne eſt in poteſtate figuli facere vas, aliud in honorem, aliud in contumeliam? De primo loquebatur Diuus Auguſtinus 12. de ciuitate cap. 6. talia ſcribens. Si duo aliqui æquali affectu in anima & corpore, & æquali tentatione videant alicuius corporis pulchritudinem, & ea viſa vnus moueatur ad illicite faciendum, alter verò non: quid cauſæ putamus eſſe, quod in vno hæc motio ſit, & non in altero? certè cauſis vniuerſis inueſtigatis nihil aliud apparet, quàm hunc in caſtitate voluiſſe permanere, illum vero minimè. De ſecundo

Digitized by Google

autem loquebatur idem diuinus & magnus pater in de bono perſeuerantiæ cap. 8. aiens. Cur ex duobus impiis vnus ſic vocetur vt ſequatur vocationem, alius vero ſic vocetur vt non ſequatur vocationem? Inſcrutabilia ſunt iudicia Dei. De primo loquebatur quando cap. 5. de prædeſtinatione aiebat. multi audiunt verbum veritatis, ſed alij credunt alij contradicunt, volunt ergo iſti credere, nolũt autem illi, quis hoc ignoret? quis hoc neget? ſed ſecundum intendebat quando dicebat, ſed cum aliis præparetur voluntas à Domino, diſcernendum eſt vtique quid veniat de miſericordia eius, quid de iudicio. Hæc ille.

Sit igitur nouitio theologo regula generalis, quòd quandocunque in patribus, vel Conciliis, vel ſcriptura offenderit hominem eſſe ſuæ iuſtificationis cauſam, illud exponat de eo, quod ex parte hominis eſt ſcilicet actu vitali, qui ab homine proficiſcitur, qui & ab homine proficiſci neceſſe eſt: nam ſicut hæc propoſitio eſt de fide, Deus non ſaluat nolentem, ita, omnis qui ſaluatur, quia vult, beatur, non excludendo gratiam, quæ voluntatem nõ corrumpit. Quan-

Regula generalis maximè notanda.

Digitized by Google

do autem viderit patres & ſcripturam confugere ad Theſauros iuſtitiæ ſeu miſericordiæ, ad Dei incomprehenſibilia iudicia &c. ſciat eos loqui de cauſa primaria talis voluntatis, & de eo, quod à mera Dei voluntate proficiſcitur.

Ad tertium in quo dicebatur prædeterminationes Phyſicas non eſſe neceſſarias. Reſpondeo negando aſſumptũ, quòd cùm probauerint, credam cum æquali auxilio vnum damnari, alterum verò ſaluari poſſe.

Et hæc de hac controuerſia dicta ſint, in honorem ſanctiſſimæ Trinitatis, Et Angelici Doctoris, quæ omnia correctioni Eccleſiæ, & Patrum mei ordinis ſubmitto.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

INDEX RERVM NOTABILIVM.

ACTIO hominis & actio humana quid. num. 27
Auguſtinus defenditur circa reprobationem. 148
Auxilium nullum eſt cui homo in hac vita reſiſtere non poſſit. 208
Auxilium ſufficiens reiicitur de facto à voluntate. 232
Auxilium efficax neceſſarium eſt ad omnem conſenſum ſupernaturalem. 235
Auxilium efficax diſtinguitur realiter à ſufficienti. 236
Auxilium efficax non lædit libertatem. 239
Applicare ex vi vocabuli impropriè attribuitur actui voluntatis. 218
Auxilium efficax aliquando conceditur his quos Deus repugnaturos vidit. 207

Digitized by Google

Auxilium efficax omnibus offertur, ſed de facto non omnes illud recipiunt. 277
Auxilium efficax neceſſarium eſt tum ratione ſubordinationis, tum etiam indifferentiæ. 338
Auxilio æquali non eſt poſſibile quod vnus conuertatur, alter vero minime. 381
ex duobus qui Audiunt Euangelium vnde prouenit quod vnus perſiſtat in malitia alius vero conuertatur. 398
Aſſenſus hominis in ea quæ ſunt fidei habet duplicem cauſam. 399

B

Bonum naturale allicit voluntatem ad ipſum. 253
Bonum ſupernaturale determinat voluntatem. 253

C

Creaturæ corporales non poſſunt agere niſi prius agantur. 353
Certitudo prædeſtinationis non ducit in deſperationem. 206
Cauſa nunquam eſt vltimo diſpoſita vt agat niſi intelligatur præmota. 261

Digitized by Google

Certitudo prædeſtinationis capitur à parte Dei. 185

Certitudo prædeſtinationis non poteſt oriri à ſcientia media. 189

Certitudo prædeſtinationis non imponit neceſsitatem. 200

Conditio requiſita ad aliquem actum ipſum præcedit. 258

Cooperatio præuiſa non poteſt inducere meritum, Suares num. 7

Conſenſus eſt cauſa totalis in vno genere. 285

Contingentia cadit ſub Dei prouidẽtia. 166

Chriſtus mortuus eſt pro omnibus. 175

D

Deus omnia præfinit in particulari. 18

Deus ſcit quomodo creatura ſit determinanda. 38

Deus cognoſcit futurum contingens in ſua voluntate. 45

Deus præfiniuit ab æterno, omnes actus tam naturales quam ſupernaturales. 67

Deus non cognoſcit malitiam actus in præuia illa motione. 70

Digitized by Google

Deus habuit voluntatem ſaluandi omnes homines in vtroque ſtatu. 151
Deus habet ſcientiam futurorum conditionatorum. 72
Deus non expectat voluntatem noſtram vt purgari velimus. 83
Deus non poteſt aliquid in ipſo videre ab eo non dependens. 96
Deus non habuit actum poſitiuum excludendi aliquos à gloria. 138
Deus non prouidet effectum futurum quocunque modo, ſed ſecundum modum conformem rei naturæ. 197
Deus non deſtruit naturas cauſarum ſecundarum cum quibus concurrit. 211
Deus non tenetur dare alicui vocationem efficacem. 236
Deus præuidit illos infallibiliter eſſe conſenſuros quibus decreuit conferre auxilium efficax. 276
Deus non denegat neceſſaria ad ſalutẽ. 278
Donum confirmationis quid. 51
Donum Chriſti reſtituitur nobis per duplicem gratiam. 267
Diabolus non recepit vt perſeueraret quia noluit. 283
Deus mouendo voluntatem non cogit ipſam. 303

Digitized by Google

Deus magis principaliter cõcurrit ad actum peccati quam ipſa voluntas. 366

Deus prius concurrit in genere cauſæ efficientis quam liberum arbitrium. 373

Deus agit immediatione virtutis, & ſuppoſiti. 359. *& ſequen.*

E

Effectus nullomodo poteſt cognoſci in cauſa indeterminata. 95

Effectus dependet à cauſa tum in eſſendo tum etiam in cognoſcendo. 99

Effectus diuinæ voluntatis impediri non poſſunt à noſtra voluntate. 213

Efficacia auxilij vnde prouenit ſecundum aduerſarios. 245

Efficacia auxilij quantum ad ſuum finem eſt à libero arbitrio. 251

Entitas auxilij efficacis non pendet à libero arbitrio. 284

Effectus prius prioritate naturæ dependet à prima cauſa. 341

F

Fines naturalis & ſupernaturalis ſunt fines intrinſeci ipſius hominis. 202

Fonſeca primus inuentor ſcientiæ mediæ. 3
Futurum conditionatum habet rationem entis. 37

G

Gratia actualis propriè dicitur auxilium. 227
Gratia habitualis duplex. ibid.
Gratia operans & cooperans eſt eadem gratia. ibid.

H

Homo in ſtatu naturæ integræ eget ſolo influxu communi primæ cauſæ ad bonum naturale. 43
Homo peruenit liberè ad ſuum finem per prædeterminationes. 102
Homo operans ſupernaturaliter habet aliquid quod non habet ille qui de facto non operatur. 240
Homo in primo ſtatu habuit vt perſeuerare poſſet, non autem vt perſeueraret. 266

I

IDæa aliquando habet rationem exemplaris, aliquando rationem cognoſcendi. 74

Digitized by Google

Impreſſio & applicatio idem prorſus ſignificant. 256
Intentio Dei fruſtrari non poteſt. 230
Inclinare non eſt allicere ſed efficaciter ducere. 254
Infallibilitas ſcientiæ Dei oritur ab efficacia ſuæ voluntatis. 11
Indifferentia duplex 5. ex parte potentiæ & ex parte obiecti. 29
Iuſtificatus nullo modo poteſt gloriari. 241
Iuſtificatus habet aliquem actum vitalem per quem diſcernitur à non iuſtificato. 244

L

Libertas ſaluatur in neceſſitate conſequentis. 212
Libertas voluntatis eſt à Deo. 41
Libertas eſt de ratione voluntatis. 28
Liberum arbitrium non poteſt contradictoria. 47
Locus ab auctoritate negatiuè multum valet in rebus fidei. 75

M

Media prædeſtinationis ducunt efficaciter ad id ad quod liberè duci volumus. 206
Media quæ Deus prædeſtinatis diſpoſuit poſſunt refutari. 204

non datur Medium inter futurum ſimpliciter & poſſibile merum. 73

Myſterium prædeſtinationis ignoratur à Caietano. 1

Modus verus conciliandi libertatem cum diuina prædeſtinatione. 203

Modus contingentiæ cadit ſub prouiſione Dei. 192

Moderni negant omnem præfinitionem & prædeterminationem. 2

Molina idem iudicium facit de Chriſto, Matre eius, & aliis prædeſtinatis. 49

Molina non ſatis modeſte loquitur de Diuis Auguſtino & Thoma. 111

Molina ſibi contradicit. 112

Molina male loquitur de doctoribus Eccleſiæ. 183

Motiuum exterius ſufficiens eſt in ſuo genere vt conuertat. 400

Multa ſcimus quorum nullum habemus indicium. 362

N

NEceßitas conſequentiæ & in ſenſu compoſito non deſtruit libertatem. 46

Nomen ſcientiæ mediæ non inuenitur in ſcripturis neque in patribus. 75

Neceßitas gratiæ ita aſſeritur vt non cor-

Digitized by Google

rumpat liberum arbitrium. 209

P

PRædeſtinatio nullomodo eſt ex præuiſis operibus. 16

Prædeſtinatio nullo modo eſt dicenda poſtdeſtinatio vt vult Fonſeca. 34

Prædeſtinatio non eſſe ex præuiſis operibus neque de congruo neque de condigno. 105

Prædeſtinatio non eſſe ex præuiſis operibus neque tanquam ex conditione. 106

Peccata fuerunt præfinita ab æterno. 60

Permiſsio quid in via Diui Thomæ. 64

Prædeſtinatus poteſt mori in peccato mortali. 214

Poßibile, eſt quo poſito non ſequitur impoſſibile. 212

Peccatum originale eſt cauſa reprobationis ſecundum Auguſtinum. 134

Permiſsio eſt actus poſitiuus. 136

Permiſsio peccati bona eſt. ibid.

Pœnas vult nobis Deus ſemper voluntate conſequenti. 160

Prædefinitio æterna & temporalis quid. 2

Prouidentia non eſt de re incerta. 36

Præmotio non eſt virtus ſuperaddita cauſæ ſecundæ. 360

Peccatum de materiali dicit actum, de formali inordinationem.

R

REprobatio aliter ſe habet in cauſando quàm prædeſtinatio. 143
Reprobatio eſt actus iuſtitiæ ordinatus ad oſtenſionem miſericordiæ. 145
Reprobatio non eſt ex præuiſo peccato neque originali. 147
Reprobatio accipit nomen ab vltimo rei euentu. 141
Reprobatio non eſt cauſa præſentis pœnæ neque culpæ futuræ. 140
Reprobatio eſt voluntas permittendi aliquem cadere in culpam. 139
Reprobatio includit voluntatem permittendi aliquem cadere in culpam. 130
Reprobatio quid ſecundum Molinam. 128
Res procognoſcuntur futuræ quia Deus voluit eſſe futuras. ibid.

S

SVares addit, ſemper, quod non legitur in textu D. Thomæ. 163
Suares ſibi contradicit. 164
Subſtractio auxilij non determinat ad malum voluntatem. 168
Scientia media appellatur viſionis à Suares. 77
Scientia media nihil confert ad rerum gubernationem. 91

Digitized by Google

Scientia conditionata eſt naturalis in Deo. 196
Scientia media omnia reconciliantur ab aduerſariis. 180
Scientia media eſt fundamentum aduerſariorum. 3
Scientia media non contemperat abſolutum decretum diuinum. 333
Suares eadem ratione probat oppoſita. 338
Suares falſo imponit Thomiſtis quod teneant Deum concurrere mediatè cum cauſis ſecundis. 363
Suares falſum imponit Thomiſtis. 324

V

Voluntas determinat ſeipſam. 24
Voluntas conſequens eſt voluntas abſoluta. 155
Voluntas determinatur à Deo. ibid.
Voluntas antecedens eſt voluntas non conſideratis conditionibus particularibus. 169
Voluntas Dei ſemper eſt determinata. 26
Voluntas antecedens non eſt ficta. 170
Voluntas Dei abſoluta eſt cauſa rerum.
Voluntas permittens non ordinat. 275
Voluntas ſemper manet libera ab intrinſeco. 296
Voluntas tunc cogitur quando contra eius inclinationem naturalem mouetur. 301

Voluntas poteſt cogi, ſed non per auxilium efficax. 330
Voluntas beatorum non determinatur à lumine gloriæ. 305
Voluntas tribus modis poteſt à Deo ad vnum determinari. 303
Voluntas poteſt reiicere quancunque determinationem Phyſicam. 325

FINIS.

ERRATA SIC LEGE.

PAg 5. nullo l nullum 13 quæres. l. quæras, 12. pro- modo, l. modo 41. poterint l. poterunt 42. præuenire l. prouenire. ibid. liber l. liberè. 55. hæc l. hac 71. cõtingens l. cõtingentẽ 77. inretitus l. irretitus 78. Deũ l. Deus ibid. Deus l. Deũ 82. prouidẽdo l. præuidẽdo 83. fines l. finis 99. dependit l dependet 101. aufertur l auferatur ibidem. accendetur l. accendatur 116. poſſunt l. poſſint 162. eſt l. ſit 211. impoſſibilem l. impoſſibile 212. conferes l. conferas 241 quò l. qua. 251. renuentem l. renuente 253 quod l. quando 254. voluntas l. voluntates 193. determinationi l. determinationem 266. habiturum l. futurum. 305. naturalis l. naturales 344. cauſa l. cauſæ 351. cauſa l. cauſæ 144 ſic & l. ſicut 369. Suaricã l. Suariam. 373. concurrent l. concurrant 395. neceſſario l. neceſſaria 409. qui & l. quem.

Alia quamplurima in marginibus inuenies quæ cum in ſenſu lectionis te non offendant incorrecta leges.

Digitized by Google

Priuilege du Roy.

HENRY PAR LA GRACE DE DIEV ROY DE FRANCE ET DE NAVARRE, A nos amez & feaux Conſeillers les gens tenans nos Cours de Parlement, Preuoſt de Paris, Ballif de Rouen, Seneſchaux de Lyō, Toloſe, Bordeaux, & Poictou, & leurs Lieutenans: Et à tous nos autres iuſticiers & officiers qu'il appartiēdra, Salut. Noſtre bien aymé Regnauld Chaudiere, marchand Libraire en l'vniuerſité de Paris, nous a fait remonſtrer qu'il a recouuré vn liure intitulé *Status Controuerſiæ Prædefinitionis & Prædeterminationis cum Libero arbitrio Auctore F. M. de Riſpolis Ordinis Prædicatorum*, lequel il feroit volontiers imprimer, mais il craint qu'apres l'auoir expoſé, autres Imprimeurs & Libraires de ceſtuy noſtre Royaume, le vouluſſent ſemblablement imprimer, ou ſuſcitaſſent les eſtrangers à ce faire, & par ce moyen fruſtrer ledit Chaudiere de ſes frais & miſes, rendre ſa peine inutile & luy faire receuoir perte & dommage. Pour à quoy obuier, & afin qu'il ſe reſſente du fruict de ſon labeur, il nous a tres-humblement ſupplié & requis luy permettre faire imprimer ledit liure en tel caractere que bon luy ſemblera, & interdire à tous autres Libraires & Imprimeurs de les imprimer, & aux eſtrangers d'en apporter, vendre ne diſtribuer en aucune maniere que ce ſoit, & à ces fins luy octroyer nos lettres, neceſſaires. NOVS A CES CAVSES deſirant l'aduancement de la choſe publique en ceſtuy noſtre Royaume, & ne voulant permettre que le ſuppliant ſoit fruſtré de ſes frais, peines, & labeurs, vous mandons & enioignons par ces preſentes que vous ayez à permettre comme nous permettons audit Chaudiere, imprimer ou faire imprimer ledit liure, vendre & diſtribuer iceluy en telles formes & caracteres que bon luy ſemblera: faiſant tres-expreſſes inhibitions & defenſes à tous autres Imprimeurs, Libraires & autres perſonnes de quelque eſtat & condition qu'ils ſoient, de les imprimer ou faire

Digitized by Google

imprimer, vendre & diſtribuer, contrefaire ou alterer ſans le conſentement dudit Chaudiere, durant le terme de ſix ans, apres que ledit liure ſera paracheué d'imprimer, & aux eſtrangers d'en apporter, vendre ne diſtribuer, ſinon que de ceux qu'aura fait imprimer ledit ſuppliant, ſur peine aux contreuenans de cinq cens liures tournois d'amandé, applicables moitié aux pauures, & l'autre moitié audit ſuppliant, confiſcation d'iceux, deſpens, dommages & intereſts. De ce faire vous donnons pouuoir & mandement ſpecial, nonobſtant oppoſitions ou appellations quelsconques, pour leſquelles & ſans preiudice d'icelles ne voulons eſtre differé, Clameur de Haro, Chartre Normande, & priuilege de pays, auſquels nous anons dérogé & dérogeons par ceſdites preſentes: Et pource que d'icelles le ſuppliant pourra auoir affaire en pluſieurs & diuers lieux, nous voulons qu'au vidimus d'icelles fait par l'vn de nos amez & feaux Conſeillers, Notaires & Secretaires, foy ſoit adiouſtee comme au preſent original, & outre qu'en mettant par brief le contenu du preſent priuilege, au commencement ou fin dudit liure, que cela ait forme de ſignification, & ſoit de tel effect, force & vertu, que ſi ceſdictes preſentes auoient eſté particulierement montrees & ſignifiees: Car tel eſt noſtre plaiſir. Donné à Fontainebeleau le vingt-ſixieſme iour de May, l'an de grace mil ſix cens neuf, & de noſtre regne le vingt-vnieſme.

Par le Roy en ſon Conſeil.

PEREAV.

Acheué d'imprimé le 15. Iuin, 1609.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google